



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

NO. J. E. L. L. 150 W. 42nd St. N. Y. C.

2984
16

C. Sudway

March 9th


1890.

2984 f. 16

C. H. Roway.

March 9th

1890



PHÆDRI
AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI
FABULARUM ÆSOPICARUM
Libri Quinque.

ACCESSERE
PUBLII SYRI
ET ALIORUM
SENTENTIÆ,
Ex Recensione CL. BENTLEII.

Editio altera, castigata, et prioribus correctior.



ETONÆ :
Excudebat E. WILLIAMS,
Apud quem veneunt etiam LONDINI, No. 10. *Red-Lion Court,*
Fleet Street.

1818.



DE
ÆTATE PHÆDRI;

EX

Ger. Vossio de Poëtis Latinis.

SUB Tiberio vixit Phædrus Thrax, Augusti Cæsaris libertus, ut qui se Augustum dicat vidisse jus dicentem, et Bathyllum, Cilnii Mæcenatis libertum, saltantem. Reliquit quinque libros Fabularum Æsopicarum, Iambicis conscriptos. Antiquissimus, qui earum meminit, est Avienus, Præfatione in Fabulas Æsopicas ad Theodosium Macrobius. Nec mirum adeò non meminisse Senecam, ubi loquitur de Fabularum Æsopicarum scriptoribus: Nam de Romanis loquitur; hic se Thracem prædicat.

I N D E X

FABULARUM PHÆDRI.

*Numerus prior librum, alter fabulam, g. Gudianas
fabulas indicat.*

ÆSOPUS ad garrulum	3, 19	Canes famelici	1, 20
Æsopus ludens	3, 14	Canum legati ad Jovem	4, 16
Æsopus interpres testamenti	4, 4	Canis et crocodilus	1, 25
Æsopus et petulans	3, 5	Canis et lupus	3, 7
Agnus à capellâ nutritus	3, 15	Canis fidelis	1, 23
Anus ad amphoram	3, 1	Canis natans	1, 4
Apes et fuci, vespâ judice	3, 13	Canis parturiens	1, 19
Aquila, cornix, et testudo	2, 6	Canis, thesaurus, et vulturius	1, 27
Aquila, felis, et aper	2, 4	Capella et hirci	4, 14
Arbores in deorum tutelâ	3, 17	Cervus et boves	2, 8
Asinus egregiè cordatus	1, 15	Cicada et noctua	3, 16
Asinus et galli	3, 20	Demetrius et Menander	5, 1
Asinus et leo venantes	1, 11	Epilogus ad Eutychem	4, 24
Asinus irridens aprum	1, 29	Equus et aper	4, 3
Cæsar ad Atriensem	2, 5	Formica et musca	4, 22
Calvus et musca	5, 3	Fur aram compilans	4, 10
Calvus repenti	2, 2	Graculus superbus	1, 3
Calvi duo	5, 6	Gubernator et nautæ	4, 15
		Hercules et Plutus	4, 11
		Homo et Asinus	5, 4
		Homo et canis	2, 3
		Homo et colubra	4, 17

I N D E X.

Homo et arbores	<i>g.</i> 5	Pugna murium et muste-	
Invidia virtutum	comes	larum	4, 5
	2, 9	Rana rupta	1, 24
Leo regnans	4, 12	Ranæ ad solem	1, 6
Leo sapiens	2, 1	Ranæ metuentes tauro-	
Leo senio confectus	1, 21	rum prœlia	1, 30
Leo et mus	<i>g.</i> 4	Ranæ regem postulantes	
Lepores vitæ pertæsi	<i>g.</i> 2		1, 2
Lupus et agnus	1, 1	Res gesta sub -Augusto	
Lupus et grus	1, 8		3, 10
Lupus et vulpes, iudice		Scurra et rusticus	5, 5
simio	1, 10	Simii caput	3, 4
Margarita in sterquilinio		Simonides à Diis servatus	
	3, 12		4, 23
Milvius et columbæ	1, 31	Simonidis naufragium	4, 20
Miluüs ægrotans	<i>g.</i> 1	Socratis dictum	3, 9
Mons parturiens	4, 21	Sutor medicus	1, 14
Muli duo et latrones	2, 7	Taurus et vitulus	5, 9
Musca et Mula	3, 6	Vacca, capella, ovis, et leo	
Mustela et homo	1, 22		1, 5
Mustela et mures	4, 1	Venator et canis	5, 10
Occasio depicta	5, 8	Viatores et latro	5, 2
Ovis, canis, et lupus	1, 17	Vipera et lima	4, 7
Ovis et cervus	1, 16	Vulpes et aquila	1, 28
Panthera et pastores	3, 2	Vulpes et ciconia	1, 26
Passer et lepus	1, 9	Vulpes et corvus	1, 13
Pavo ad Junonem	3, 18	Vulpes et draco	4, 18
Peræ	4, 9	Vulpes et hircus	4, 8
Phædrus de fabulis	4, 19	Vulpes et uva	4, 2
Phædrus in Fabularum		Vulpes ad personam tra-	
Æsopiarum censores	4, 6	gicam	1, 7
Princeps tibicen	5, 7	Vulpes et Jupiter	<i>g.</i> 3

A
COLLECTION
OF THE
PROVERBIAL MOTTOS
TO THE
FABLES OF PHÆDRUS ;
IN LATIN AND ENGLISH.

THE FIRST BOOK.

- | | |
|--|--|
| 1. FACILE est opprimere
innocentem. | <i>THE weakest goes to the
Wall.</i> |
| 2. Minima de malis. | <i>Of two evils chuse the least.</i> |
| 3. In propriâ pelle qui-
esce. | <i>Be content in your own sta-
tion.</i> |
| 4. Avidum sua sæpè delu-
dit aviditas. | <i>All covet, all lose.</i> |
| 5. Potentioris societatem
fuge. | <i>Keep not too great Com-
pany.</i> |
| 6. Improborum improba
soboles. | <i>Like Father, like Son.</i> |
| 7. Stultorum honor in-
glorius. | <i>Honor becomes not a Fool.</i> |

8. *Malos tueri haud tutum.* *Save a Thief from the Gallows, and he'll cut your Throat.*
9. *Ne insultes miseris.* *Insult no Man under Misfortunes.*
10. *Mendaci ne verum quidem dicenti creditur.* *A Liar is not believed tho' he speak the Truth.*
11. *Ridicula in imbelli virtutis ostentatio.* *A Boaster and a Liar are Cousin-germans.*
12. *Utilissimum sæpè quod contemnitur.* *What we most despise, often proves the most serviceable.*
13. *Laudatore nihil insidiosius.* *Nothing is more deceitful than a Flatterer.*
14. *Fallax vulgi judicium.* *The Common People are not good Judges.*
15. *Pauper dominum non sortem mutat.* *The poor often change their Masters without changing their Condition.*
16. *Fide-jussorem infidum cave.* *Beware of a knavish Bondsman.*
17. *Calumniatorem sua pœna manet.* *Slander always leaves a Sore behind.*
18. *Horret quisque adire locum ubi læsus est.* *The burnt Child dreads the Fire.*
19. *Omnem aditum malis præcludito.* *Always keep a Rogue at a distance.*
20. *Stultitia plerumque exitio est.* *Folly is generally attended with fatal Consequences.*
21. *Miser vel ignavissimo cuique ludibrio est.* *The Unfortunate are insulted by every Rascal.*
22. *Qui alteri suam ob causam commodat, injuriâ postulat id gratiæ apponi sibi.* *He that serves another for his own End, ought not to expect any thing for his Pains.*
23. *Suspecta malorum beneficia.* *Always suspect the generosity of sharpers.*
24. *Potentes ne tentes æmulari.* *Do not pretend to imitate the Great.*

- | | |
|---|--|
| 25. Rete ne tendas accipitri et milvio. | <i>Old Birds are not caught with chaff.</i> |
| 26. Par pari refertur. | <i>Give a Man a Rowland for his Oliver.</i> |
| 27. Avarus suus sibi carnifex est. | <i>Covetous Men live Drudges, to die Wretches.</i> |
| 28. Ne magnus tenuem despicio. | <i>No Man should despise his inferiors.</i> |
| 29. Est cui magno constitit dicterium. | <i>Jests, like Sweetmeats, have often sour sauce.</i> |
| 30. Mala publica in plebem recidunt. | <i>Public Calamities fall heaviest on the Common People.</i> |
| 31. Cui fidas, vide. | <i>Look before you leap.</i> |

THE SECOND BOOK.

- | | |
|---|--|
| 1. Sunt etiam sua præmia laudi. | <i>Virtue does not always go unrewarded.</i> |
| 2. Simile simili gaudet. | <i>Like to like.</i> |
| 3. Impunitas peccandi illecebra. | <i>Impunity is an encouragement to vice.</i> |
| 4. Vir dolosus seges est mali. | <i>Hypocrisy is a Complication of wickedness.</i> |
| 5. Ne quid nimis. | <i>Too much of one thing is good for nothing.</i> |
| 6. Potentiam malitiâ adjutam quis effugiat? | <i>Who can withstand Malice joined with Power?</i> |
| 7. Plura timenda divitibus. | <i>Rich Men feel Misfortunes that fly over poor Men's Heads.</i> |
| 8. Plus videas tuis oculis quàm alienis. | <i>The Master's Eye makes the Horse fat.</i> |
| 9. Invidia virtutum comes. | <i>Envy is the Companion of Virtue.</i> |

THE THIRD BOOK.

1. *Rei bonæ vel vestigia delectant.* *The least remainder of good things is valuable.*
2. *Benefico benè erit.* *Do good if you expect to receive it.*
3. *Experientia præstantior arte.* *Knowledge without experience makes but half an Artist.*
4. *Mentem hominis spectato, non frontem.* *Judge not a Man by his Face, but by his Mind.*
5. *Erit ubi pœnas det pro-cax audacia.* *Insolence will one time or other be deservedly punished.*
6. *Ridenda imbecillorum superbiloquentia.* *A Coward's boasting is ridiculous.*
7. *Liber inops servo divite felicior.* *Lean Liberty is better than fat Slavery.*
8. *Sat pulcher qui sat bonus.* *Handsome is, that handsome does.*
9. *Fidelem ubi invenias virum?* *A faithful Friend is hard to be found.*
10. *Ne sis credulus, maxime criminatori.* *Don't credit reports rashly, especially those of an Informer.*
11. *Deformitas dolenda quæ ex merito venit.* *Grieve not at any deformity but what you bring upon yourself.*
12. *Optima sæpè despecta.* *The most valuable things are often despised.*
13. *Opus artificem probat.* *The work shews the Workman.*
14. *Otiare quò labores.* *All work and no play makes Jack a dull Boy.*
15. *Qui educat, pater magis, quàm qui genuit.* *A child is more obliged to his Parents for his Education, than for his Birth.*

- | | |
|--|---|
| 16. Humanitas et gratior et tutior. | <i>'Tis both obliging and safe to be courteous.</i> |
| 17. Fructu, non foliis, arborem æstima. | <i>Value a Tree for its Fruit, and not for its Leaves.</i> |
| 18. Tuis contentus, ne concupiscas aliena. | <i>Content is Happiness, but Covetousness is Misery.</i> |
| 19. Multi homines nomine, non re. | <i>Many are Men in name, but not in fact.</i> |
| 20. Miserrimus, qui in vitâ miser, post mortem miserior. | <i>He is most miserable who can neither rest alive or dead.</i> |

THE FOURTH BOOK.

- | | |
|---|---|
| 1. Astutus astu non capitur. | <i>Old Birds are not caught with chaff.</i> |
| 2. Spernit superbus quæ nequit assequi. | <i>The proud always pretend to despise what they can't obtain.</i> |
| 3. Vindictæ cupidus sibi malum arcessit. | <i>Revenge drinketh up the greatest part of its own poison.</i> |
| 4. Homines non numerandi, sed ponderandi. | <i>We should not judge of Men by their numbers, but by their merit.</i> |
| 5. Feriunt summos fulmina montes. | <i>The higher Men are, the greater their fall will be.</i> |
| 6. Stultus, nisi quod ipse facit, nil rectum putat. | <i>Conceited Fools think nothing can be well done without them.</i> |
| 7. Maledico maledicens pejus audiet. | <i>Ill language begets worse.</i> |
| 8. Improbi, ne pereant, perdunt. | <i>Some people care not who sink, so they do but swim.</i> |
| 9. Suus cuique attributus est error, sed non videmus id manticæ, quod in tergo est. | <i>Every one sees the mote in his neighbour's eye, but is blind to the beam in his own.</i> |

10. Antecedentem scelestum non deserit pede pœna claudo. *Sooner or later the wicked will be punished.*
11. Opes irritamenta malorum. *Riches are the root of evil, and often the fruit of it.*
12. Sinceritas laudanda. *Plain-dealing is a Jewel, but they that wear it are out of the fashion.*
13. *Sententia deest.*
14. Pares non habitus sed virtus facit. *Not their outside, but their virtues, make Men equals.*
15. In secundis time, in adversis spera. *In prosperity fear the worst, in adversity hope the best.*
16. Nimia verecundia in-verecundum facit. *Too much complaisance makes a man rude.*
17. Malo qui benè facit, pejorem facit. *Do a bad Man a kindness, and he'll be the worse for it.*
18. Avarus auri custos, non dominus. *Covetous Men's Chests are rich, not they.*
19. Inventa perficere non inglorium. *To perfect another Man's Inventions is praise-worthy.*
20. Veras divitias eripit nemo. *No Man can be robbed of true riches.*
21. Magna ne jactes, sed præstes. *Brag is a good Dog, but Holdfast a better.*
22. Vera gloria fictam obscurat. *True glory eclipses the counterfeit.*
23. Deum colenti stat sua merces. *The religious are sure to be rewarded.*
24. Multùm auxiliatur, qui citò. *He that helps soonest, helps best.*

THE FIFTH BOOK.

- | | |
|---|--|
| 1. Nihil ad honorem famâ
ingenii aptius. | <i>Ingenuity gets great re-
putation.</i> |
| 2. Ventosa lingua, pedes
fugaces. | <i>A Coward's weapons are his
tongue and his heels.</i> |
| 3. Sponte peccanti nullus
est veniæ locus. | <i>Wilful faults have no ex-
cuse, and deserve no par-
don.</i> |
| 4. Feliciter sapit, qui ali-
eno periculo sapit. | <i>The best wisdom is that
which is got at other
folks cost.</i> |
| 5. Præjudicata opinio ju-
dicium obruit. | <i>A prejudiced opinion spoils
the judgment.</i> |
| 6. Non omnia omnibus
congruunt. | <i>All things do not suit all
Men.</i> |
| 7. Stulta superbia ridetur
ab omnibus. | <i>A foolish conceitedness is ri-
dicated by all the world.</i> |
| 8. Fugit irreparabile tem-
pus. | <i>Time and tide stay for no
Man</i> |
| 9. Ne sus Minervam. | <i>Don't teach your Grand-
dam to suck eggs.</i> |
| 10. Omnia fert ætas. | <i>Time devours all Things.</i> |




PHÆDRI

AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI

FABULARUM ÆSOPICARUM

LIBRI QUINQUE.



LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

ÆSOPUS auctor quam materiam reperit,
Hanc ego polivi versibus senariis.
Duplex libelli dos est : quòd risum movet ;
Et quòd prudenti vitam consilio monet.

ANNOTATIONES.

ÆSOPUS] Ordo verborum ; *Ego polivi materiam, quam Æsopus reperit auctor* ; i. e. primus. Scheff.

Polivi] Exegi, absolvi.

Senariis] Iambicis sex pedum, *Verses of six feet.*
Vitam monet] *Directs human Life.*

B

Calumniari si quis autem voluerit, 5
 Quòd arbores loquantur, non tantùm feræ,
 Fictis joculari nos meminerit fabulis.

Calumniari] Interpretatione malitiosâ traducere; *to cavil.*

FABULA I.

Facile est opprimere innocentem.

LUPUS ET AGNUS.

AD rivum eundem Lupus et Agnus venerant,
 Siti compulsi: superior stabat Lupus,
 Longèque inferior Agnus: Tunc fauce improbâ
 Latro incitatus jurgii causam intulit.

L. *Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam
 Istam bibenti?* Laniger contrâ timens; 6

A. *Quí possum, quæso, facere quod quereris, Lupe?
 A te decurrit ad meos haustus liquor.*

Repulsus ille veritatis viribus,

Compulsi] Simul pulsi.
Superior] Propior ad fontem.

Longè] Vim habet emphaticam.

Fauce improbâ] Acri fame, vel ingluvie malum suadente; Anglice, *ungodly gut.*

Latro] Lupus, quia ex raptu vivit. *The Wolf.*

Causam] Hic valet *prætextum.* *A pretence.*

Mihi bibenti] Mihi saltem, dum bibo.

Laniger] Agnus, quòd lanam gerat.

Timens] Subaud. *dixit.*

L. *Ante hos sex menses, ait, maledixisti mihi.* 10

Respondit Agnus : *Equidem natus non eram.*

L. *Pater, Herclè, tuus, inquit, maledixit mihi.*

Atque ita correptum lacerat injustâ nece.

Hæc propter illos scripta est homines fabula,

Qui fictis causis innocentes opprimunt. 15

Equidem] Ego quidem,
quodd ad me.

Herclè] *By the God Her-*
cules.

Injustâ nece] Ita ut nex
sequatur, eâque injusta.

Fictis causis] Subaud. *de.*
Under false pretences.

FAB. II.

Minima de Malis.

RANÆ REGEM POSTULANTES.

ATHENÆ quùm florerent æquis legibus,

Procax libertas civitatem miscuit,

Frænumque solvit pristinum licentia.

Hinc conspiratis factionum partibus,

Arcem tyrannus occupat Pisiistratus : 5

Quùm tristem servitutem flerent Attici,

(Non quia crudelis ille, sed quoniam grave

Omniñd insuetis onus,) et cœpissent queri :

Æsopus talem tum fabellam retulit.

Athenæ] Athens, a fa-
mous City of Greece.

Procax] Petax; nam pro-
care est petere, craving.

Civitatem miscuit] Dis-
ordered the Government.

Licentia] Nominativus

casus. *Licentiousness.*

Frænum pristinum] The
ancient Rein of Discipline.

Hinc] Hic, upon this.

Conspiratis partibus]
Banded together. Abl. abs.

Tyrannus] Ut Rex.

¶ Ranæ, vagantes liberis paludibus, 10
 Clamore magno regem petiére à Jove,
 Qui dissolutos mores vi compesceret.
 Pater Deorum risit, atque illis dedit
 Parvum tigillum; missum quod subitò vadis,
 Motu sonoque terruit pavidum genus. 15
 Hoc mersum limo cùm jaceret diutiùs,
 Fortè unà tacitè profert è stagno caput,
 Et, explorato rege, cunctas evocat.
 Illæ, timore posito, certatim adnatant,
 Lignumque supra turba petulans insilit: 20
 Quod quùm inquinâssent omni contumeliâ,
 Alium rogantes Regem misère ad Jovem,
 Inutilis quoniam esset qui fuerat datus.
 Tum misit illis hydram, qui dente aspero
 Corripere cœpit singulas: frustrà necem 25
 Fugitant inertes: vocem præcludit metus.
 Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
 Afflictis ut succurrat. Tunc contrà Deus,
 Quia nolulistis vestrum ferre, inquit, bonum,

Petiére] Vet. *petierunt*; metricis legibus invitis.

Vi] Bono sensu, pro potestate, *Authority*.

Pavidum genus] Metu, scilicet: *pavidus* est enim, cui cor palpitat. *The trembling Kind*.

Explorato Rege] *Having examined their King*.

Evocat] E stagno vocat.

Lignum] Eleganter: ut ostendat quàm contemptus fuerit ille rex.

Inutilis] *Good for nothing*.

Fugitant] Huc illuc trepidæ fugiunt. Anglicè *Scuttle*.

Inertes] *Helpless*.

Contrà] *In answer*.

Malum perferte. Vos quoque, ô cives, ait, 30
Hoc sustinete, majus ne veniat malum.

Malum perferte] Bear
on to the end of your mis-
fortunes.

Ait] Æsopus nempè.
Veniat] Heinsius eve-
niat.

FAB. III.

In propria pelle quiesce.

GRACULUS SUPERBUS.

NE gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potiùs habitu vitam degere,
Æsopus nobis hoc exemplum prodidit.

¶ Tumens inani Graculus superbiâ,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, sustulit, 5
Seque exornavit : deinde contemnens suos,
Immiscuit se Pavonum formoso gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque rostris. Malè mulctatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus : 10
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam ex illis, quos priùs despexerat ;
Gr. *Contentus nostris si fuisses sedibus,*
Et, quod natura dederat, voluisses pati ;

Prodidit] Proposuit, pro-
posed.

Pennas] Their feathers.

Pavoni] The Ablative
Case.

Fugant] Figunt Hein-
sius. Drive him away.

Malè mulctatus] Being
sadly beaten.

Mœrens] In great hea-
viness.

Notam] A mark of dis-
grace.

Sedibus] Station

Nec illam expertus esses contumeliam, 15
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

FAB. IV.

Avidum sua sæpè deludit aviditas.

CANIS NATANS.

AMITTIT meritò proprium, qui alienum appetit.

¶ Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,
 Lympharum in speculo vidit simulacrum suum,
 Aliamque prædam ab alio ferri putans,
 Eripere voluit ; verùm decepta aviditas, 5
 Et, quem tenebat ore, demisit cibum ;
 Nec, quem petebat, potuit adedò attingere.

Appetit] Avidè fertur in, *ed. Subaud. est.*
snaps at. *Nec potuit adedò]* *After*
Decepta aviditas] *His all could not.*
greediness was disappoint-

FAB. V.

Potentioris societatem fuge.

VACCA, CAPELLA, OVIS, ET LEO.

NUNQUAM est fidelis cum potente societas :
 Testatur hæc fabella propositum meum.

Societas] *Partnership.* *nem. Sententiam præmis-*
Propositum] *Propositio-* *sam intelligit.*

¶ Vacca, et Capella, et patiens Ovis injuriæ,
Socii fuère cum Leone in saltibus.

Hi quùm cepissent Cervum vasti corporis, 5
Sic est locutus, partibus factis, Leo :

Ego primam tollo, nominor quia Leo :

Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi :

Tum quia plus valeo, me sequetur tertia :

Malo adficietur, si quis quartam tetigerit. 10

Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Patiens injuriæ] Patient
under wrong.

Socii] Partners.

Partibus factis] When
the shares were laid out.

Plus valeo] Viribus cor-
poris, I am stronger than
any of ye.

Sequetur] Sponte deve-
niet ad me. Will be mine.

Malo adficietur] He shall
suffer for it.

Improbitas] Iniqua vis,
nullis legibus se contin-
ens.

FAB. VI.

Improborum improba soboles.

RANÆ AD SOLEM.

VICINI furis celebres vidit nuptias
Æsopus, et continuò narrare incipit.

¶ Uxorem quondam Sol quùm vellet ducere,
Clamorem Ranæ sustulère ad sidera.

Convicio permotus, quærit, Jupiter 5

Celebres] Much talked
of, frequented.

Convicio permotus] Dis-
turbed with their noise.

Causam querelæ : quædam tum stagni incola,
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque miseras aridâ sede emori :
Quidnam futurum est, si creârit liberos ?

<i>Stagni incola]</i> i. e. Rana, quæ stagnum incolit.	<i>Aridâ sede emori]</i> <i>Even</i> <i>to die in our parched habi-</i> <i>tation.</i>
<i>Nunc]</i> Ut res nunc sunt.	<i>Quidnam futurum est]</i>
<i>Unus]</i> Sol unus cùm sit.	<i>What will become of us?</i>
<i>Miseras.]</i> Nos subaud.	

FAB. VII.

Sultorum honor inglorius.

VULPES AD PERSONAM TRAGICAM.

PERSONAM tragicam fortè Vulpes viderat :
O quanta species, inquit, cerebrum non habet !

¶ Hoc illis dictum est, quibus honorem et
 gloriam

Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

<i>Personam]</i> Machinam, quâ velabant faciem Tra- gici actores : vulgò <i>larram</i> appellamus. <i>Vizard, Mask.</i>	et venerabilis! Quanta species! <i>How glorious an</i> <i>appearance!</i>
<i>Quanta]</i> Quàm augusta	<i>Abstulit]</i> <i>But denies.</i>

FAB. VIII.

Malos tueri haud tutum.

LUPUS ET GRUS.

QUI pretium meriti ab improbis desiderat,
Bis peccat : primùm quoniam indignos adjuvat ;
Impunè abire deinde quia jam non potest.

¶ Os devoratum fauce quùm hæeret Lupi,
Magno dolore victus, cœpit singulos 5
Illicere pretio, ut illud extraherent malum.
Tandem persuasa est jurejurando Gruis ;
Gulæque credens colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo .
Pro quo quùm pactum flagitaret præmium ; 10
L. *Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, et mercedem postulas.*

Meriti] Benè meriti beneficii, *for a good turn.*

Peccat] *Is in the wrong.*

Deinde] Secundò.

Jam] Cùm adjuverit.

Lupi] Multi cod. *Lupo.*

Gruis] Antiquè pro *Grus* ;
ut *mentis, pedis*, et similia.
Rittershus.

Jurejurando] Lupi, sc.

Upon the Wolf's oath.

Credens] Committens,
inserens, venturing.

Fecit medicinam] *Wrought a cure.*

Periculosam] *Hazardous.*
Sibi nempè.

Pro quo] *For which action.*

FAB. IX.

Ne insultes miseris.

PASSER ET LEPUS.

SIBI non cavere, et aliis consilium dare,
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

¶ Oppressum ab Aquilâ, fletus edentem graves,
ves,

Leporem objurgabat Passer: P. *Ubi pernicitas
Nota, inquit, illa est? Quid ita cessârunt pedes?*
Dum loquitur, ipsum Accipiter nec opinum
rapit, 6

Questuque vano clamitantem interficit.

Lepus semianimus mortis in solatium;

L. *Qui modò securus nostra irridebas mala,*

Simili querelâ fata deplorâs tua. 10

Sibi non cavere, et aliis *Nec opinum] Dreaming*
consilium dare] Hæc verba *of no such thing.*
vice Accusativi ponuntur *Securus] Curâ vacuus,*
ante esse et Substantivi ad *void of care.*
stultum. *Nostra irridebas mala]*

Objurgabat] Was rating. *Jeered at my calamity.*

FAB. X.

Mendaci ne verum quidem dicenti creditur.

LUPUS ET VULPES, JUDICE SIMIO.

QUICUNQUE turpi fraude semel innotuit,

Etiam si verum dicit, amittit fidem.

Hoc attestatur brevis Æsopi fabula.

Innotuit] Is become no- *Amittit fidem] Gains no*
torious. *credit.*

¶ Lupus arguebat Vulpem furti crimine :
 Negabat illa se esse culpæ proximam : 5
 Tunc iudex inter illos sedit Simius.
 Uterque causam cùm perorâssent suam,
 Dixisse hanc fertur Simius sententiam :
Tu non videris perdidisse quod petis :
Te credo surripuisse, quòd pulchrè negas. 10

Arguebat Vulpem furti crimine] Accusabat Vulpem furti. *Charged the Fox with theft.*

Perorâssent] Ad finem deduxissent orationem. *Scheff. Had done pleading.*

Dixisse sententiam] To have pronounced this sentence.

Petis] Sue for.

Pulchrè] Speciosè, smoothly, with a good grace.

FAB. XI.

Ridicula in imbelli Virtutis ostentatio.

ASINUS ET LEO VENANTES.

VIRTUTIS expers, verbis jactans gloriam,
 Ignotos fallit, notis est derisui.

¶ Venari, Asello comite, quùm vellet Leo,
 Contexit illum frutice; et admonuit simul,
 Ut insuetâ voce terreret feras, 5
 Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus
 Clamorem subitò totis tollit viribus,

Virtutis expers] Fortitudinis expers, a Coward.

Jactans gloriam] Sounding his own praise.

Ignotos] Qui eum non

nôrunt, those that do not know him.

Hic auritulus] Upon this, the long-ear'd Beast.

Novoque turbat bestias miraculo :
 Quæ dum paventes exitus notos petunt,
 Leonis adfliguntur horrendo impetu. 10

Qui, postquàm cæde fessus est, Asinum evocat,
 Jubetque vocem premere : Tunc ille insolens ;

A. *Qualis videtur opera tibi vocis meæ ?*

L. *Insignis, inquit ; sic ut, nisi nôssem tuum
 Animum genusque, simili fugissem metu.* 15

*Turbat] Confounds. Adfliguntur] Are struck
 Novo miraculo] By an down.
 unheard-of prodigy. Insolens] Conceitedly says.
 Exitus notos] Their usual Opera] Service.
 way of escape. Animum] Cowardly spirit.*

FAB. XII.

est
Utile esse sæpè quod contemnitur.

CERVUS CORNIBUS IMPEDITUS.

LAUDATIS utiliora, quæ contempseris,
 Sæpè inveniri, hæc exerit narratio.

¶ Ad fontem Cervus, quùm bibisset, restitit,
 Et in liquore vidit effigiem suam.

Ibi dum ramosa mirans laudat cornua, 5
 Crurumque nimiam tenuitatem vituperat ;
 Venantùm subitò vocibus conterritus,

Laudatis] Locus obscurior. Ordo verò verborum hic : Hæc narratio seu fabula exerit, et ostendit, ea, quæ contempseris, sæpè inveniri utiliora laudatis ; i. e. quàm ea quæ laudaveris.
Exerit] Discovers.
Venantùm] Pro Venantium ; hoc est, Venatorum, of the Huntsmen.

Per campum fugere cœpit, et cursu levi
 Canes elusit. Sylva tum excepit ferum ;
 In quâ retentis impeditus cornibus, 10
 Lacerari cœpit morsibus sævis canum.
 Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur :
 O me infelicem ! qui nunc demùm intelligo,
 Ut illa mihi profuerint quæ despexeram,
 Et, quæ laudâram, quantùm luctûs habuerint ! 15

Elusit] Baffled. *Quantùm luctûs habue-*
Excepit] Received. *rint !]* How much sorrow
Demùm] When it is too late. *they carried with them !*

FAB. XIII.

Laudatore nihil insidiosius.

VULPES ET CORVUS.

QUI se laudari gaudent verbis subdolis,
 Serâ dant pœnas turpes pœnitentiâ.
 ¶ Quùm de fenestrâ Corvus raptum caseum
 Comesse vellet, celsâ residens arbore ;
 Hunc vidit Vulpes, deindè sic cœpit loqui : 5
 V. O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor !
 Quantùm decoris corpore et vultu geris !
 Si vocem haberes, nulla prior ales foret.

Subdolis] Speciosè ad fraudem compositis ; *Art-*
fully contrived to deceive. *tis ; sitting at ease.*
Serâ] Too late. *Qui est nitor !]* How great
Residens] Otium et desidia- *is the sleekness !*
Corvi denotat, securi jam, nihilque metuen-
Decoris] Comeliness. *Prior]* Potior, præstan-
tior te, more valuable than
you.

At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
 Emisit ore caseum; quem celeriter 10
 Dolosa Vulpes avidis rapuit dentibus.
 Tum demùm ingemuit Corvi deceptus stupor.
 [Hâc re probatur, quantùm ingenium valet;
 Virtuti semper prævalet sapientia.]

Vocem ostendere] To give proof of his pipe. *Ingemuit*] Sighing said.

FAB. XIV.

Fallax vulgi iudicium.

EX SUTORE MEDICUS.

MALUS quùm Sutor, inopiâ deperditus,
 Medicinam ignoto facere cœpisset loco,
 Et venditaret falso antidotum nomine,
 Verbosis adquisivit sibi famam strophis.
 Hîc, quum jaceret morbo confectus gravi 5
 Rex urbis, ejus experiendi gratiâ,

Malus Sutor] Artis suæ imperitus: *A bungling Cobler.*

Deperditus inopiâ] Præ egestate omninò perditus: *Undone for want of business.*

Ignoto] Where he was not known.

Facere medicinam] Artem medicam exercere, medicum agere; *To practise Physic.*

Falso] Quæ falsò habebat hoc nomen, *pretended.*

Verbosis strophis] *Canting tricks.*

Hîc] *Hereupon*, eo tempore.

Rex] Moderator, qui summam tenet reipublicæ: *The Chief Magistrate.*

Ejus experiendi gratiâ] *To try his Skill and Faithfulness.*

Scyphum poposcit ; fusâ dein simulans aquâ
 Antidoto miscere illius se toxicum,
 Ebibere jussit ipsum, posito præmio.
 Timore mortis ille tum confessus est, . 10
 Non artis ullâ medicum se prudentiâ,
 Verùm stupore vulgi factum nobilem.
 Rex, advocatâ concione, hæc edidit :
Quantæ putatis esse vos dementiæ,
Qui capita vestra non dubitatis credere, 15
Cui calceandos nemo commisit pedes ?

¶ Hoc pertinere verè ad illos dixerim,
 Quorum stultitiâ quæstus impudentiæ est.

Fusâ] Infusâ scypho.

Antidoto] Transpones meliùs ; *miscere illius antidoto*, &c.

Ipsum] Medicum. Hoc clarè indicat Regem, non Sutorem, ægrotum jacuisse ; ut et sequens, *timore mortis*.

Posito præmio] *A set reward*.

Medicum] Heinsius *medicæ* conjicit.

Prudentiâ] *Insight*.

Concione] *Populo*.

Edidit] *Addidit* Gro-
 nov. *Edidit* Heins. *Said*

on the occasion.

Quantæ] *Quàm dementes putatis vos esse? How mad must you think yourselves*.

Capita vestra credere] *To venture your lives to a person*.

Calceandos] *Calceis instruendos, muniendos*.

Commisit] Meursius *commissit*, pro *commiserit*, assentiente Fabro. *committed*.

Impudentiæ] *Of impudent people*.

FAB. XV.

Pauper dominum, non sortem mutat.

ASINUS EGREGIE CORDATUS.

IN principatu commutando civium
 Nil præter domini nomen mutant pauperes.
 Id esse verum, parva hæc fabella indicat.

¶ Asellum in prato timidus pascebat senex :
 Is, hostium clamore subitò territus, 5
 Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
 At ille lentus ; *Quæso, num binas mihi*
Clitellas impositurum victorem putas ?
 Senex negavit. A. *Ergo, quid refert meâ ?*
 Cui serviam, clitellas dum portem meas ? 10

Pascebat] Was feeding. *Lentus*] In nò great haste.
Ne possent capi] Lest they *Negavit*] Dixit victorem
 might be taken prisoners. non impositurum : Said,
Ille] The Ass. No.

FAB. XVI.

Fide-jussorem infidum cave.

OVIS ET CERVUS.

Fraudator, nomen quàm locat sponso improbo,
 Non rem expedire, sed mala videre expetit.

¶ Ovem rogabat Cervus modium tritici,
Nomen locat] Lends his froward engagement.
 name. *Mala videre*] To seek for
Sponso improbo] By a evasions.

Lupo sponsore : at illa præmetuens dolum ;
Rapere atque abire semper adsuevit Lupus ; 5
Tu de conspectu fugere veloci impetu :
Ubi vos requiram, quùm dies advenerit ?

Præmetuens] *Suspecting; nimble Spring.*
 Mature metuens, inquit. *Dies*] *Solutionis scil.*
Tu] *Subaud. assuevisti. The Day of payment.*
Veloci impetu] *With a*

FAB. XVII.

Calumniatorem sua pœna manet.

OVIS, CANIS, ET LUPUS.

SOLENT mendaces luere pœnas malefici.

¶ Calumniator ab Ove quùm peteret Canis,
 Quem commodâsse panem se contenderet ;
 Lupus citatus testis, non unum modò
 Deberi dixit, verùm affirmavit decem. 5
 Ovis damnata falso testimonio,
 Quod non debebat, solvit : Post paucos dies
 Bidens jacentem in foveâ conspexit Lupum :
Hæc, inquit, merces fraudis à Superis datur.

Luere pœnas malefici] bant enim capi olim quo-
To suffer the punishment que foveis ; unde Horatius,
due to their roguery. *Cautus enim metuit foveam*
Peteret] *Demanded.* *Lupus. Sch. Fovea, Anglicè,*
Deberi] *debere, scil. a Pit-trap.*
 ovem. *Were owing.* *Consperit*] *Cod. Dan.*
Jacentem in foveâ] *prospexit, benè.*
 lapsus ; non mortuum, ut *Merces*] *Et præmium et*
 interpres Gallicus. Sole- *pœnam significat.*

FAB. XVIII.

Horret quisque adire locum ubi læsus est.

[*Hæc FABULA omittitur.*]

FAB. XIX.

Omnem aditum malis præcludito.

CANIS PARTURIENS.

HABENT insidias hominis blanditiæ mali :
Quas ut vitemus, versus subjecti monent.

¶ Canis parturiens quùm rogâsset alteram,
Ut fœtum in ejus tugurio deponeret,
Facilè impetravit : dein reposcenti locum 5
Preces admovit : tempus exorans breve,
Dum firmiores catulos posset ducere.
Hôc quoque consumpto, flagitare validiùs
Cubile cœpit : *Si mihi et turbæ meæ*
Par, inquit, esse potueris, cedam loco. 10

Blanditiæ] The smooth
Speeches.

Habent] In se continent,
Contain in them.

Insidias] Treachery.
Deponeret, &c.] Deponere
liceret. That she might
bring forth her young.

Dein] MS. Deinde; quod
Phædro familiare.

Admovit] Vehementiam
orantis denotat.

Exorans] Orando impe-
trans; *tempus* autem non
pendet à participio *exorans*,
sed à præpositione subau-
ditâ *in*; orando impetrans
locum in tempus breve :
quod enim oravit, idem
orando impetravit.

Ducere] Carry abroad.

Turbæ] Catulis meis.

Par] A Match.

FAB. XX.

Stultitia plerumquè exitio est.

CANES FAMELICI.

STULTUM consilium non modò effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.

¶ Corium depressum in fluvio viderunt Canes :
Id ut comessè extractum possent faciliùs,
Aquam cœperunt bibere ; sed rûpti priùs 5
Periêre, quàm quod petierant contingerent.

Caret] Fails of. *erunt, priusquàm contin-*
Devocat] Lures down. *gerent corium quod petie-*
Rupti] Ordo verborum ; *rant. Bursted with too*
Rupti nimio potu peri- *much drink.*

FAB. XXI.

Miser vel ignavissimo cuique ludibrio est.

LEO SENIO CONFECTUS.

QUICUNQUE amisit dignitatè[m] pristinam,
Ignavis etiam jocus est in casu gravi.

¶ Defectus annis et desertus viribus
Leo quùm jaceret, spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus, 5
Et vindicavit ictu veterem injuriam :
Infestis Taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus, ut vidit ferum
Impunè lædi, calcibus frontem extudit.

Ignavis etiam] Even to *Fulmineis]* Bright like
Cowards. *Lightning.*
Jaceret] Lay helpless.

At ille expirans ; *Fortes indignè tuli* 10
Mihi insultare : Te, naturæ dedecus,
Quòd ferre cogor, certè bis videor mori.

Expirans] Breathing his last. *conjungendum cum bis ;*
Indignè tuli] I took it heinously. *quasi diceret Leo emphaticè, undoubtedly twice : bis enim mori est, ab ignavâ manu mori.*
Certè] Certè omninò

FAB. XXII.

Qui alteri suam ob causam commodat, injuriâ
postulat id gratiæ apponi sibi.

MUSTELA ET HOMO.

MUSTELA ab homine presa, quàm instantem necem
 Effugere vellet ; M. *Quæso, inquit, parcas mihi,*
Quæ tibi molestis muribus purgo domum.

Respondit ille : H. *Faceres si causâ meâ,*
Gratum esset, et dedissem veniam supplici : 5
Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis
Quas sunt rosuri, simul et ipsos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
 Atque ità locutus improbam letho dedit.

¶ Hoc in se dictum debent illi agnoscere, 10
 Quorum privata servit utilitas sibi,
 Et meritum inane jactant imprudentibus.

Purgo tibi domum] Clear your house for you. et iniqua postulantiem, *The impudent Weasel.*

Gratum] Gadius ratum conjicit : *Gratum* Angl. an *Obligation.* *In se]* Contra se.
Meritum inane] Suprà, *vanum beneficium.*

Reliquiis] The Orts. *Imprudentibus]* Apud imprudentes, imperitos, simplices. Ang. *Unwary.*
Improbam] Impudentem,

FAB. XXIII.

Suspecta malorum beneficia.

CANIS FIDELIS.

REPENTE liberalis, stultis gratus est ;
Verùm peritis irritos tendit dolos.

¶ Nocturnus quùm fur panem misisset Cani,
Objecto tentans an cibo posset capi ;
Heus, inquit, linguam vis meam præcludere, 5
Ne latrem pro re domini? Multùm falleris.
Namque ista subita me jubet benignitas
Vigilare, facias ne meâ culpâ lucrum.

Gratus] *Welcome.* *his snures.*
Irritos] *To no purpose.* *Pro re*] *For the advan-*
Tendit dolos] *He spreads* *tage.*

FAB. XXIV.

Potentes ne tentes æmulari.

RANA RUPTA.

INOPS, potentem dum vult imitari, perit.

¶ In prato quodam Rana conspexit Bovem ;
Et, tacta invidiâ tantæ magnitudinis,
Rugosam inflavit pellem : tum natos suos

Perit] *Is undone.* *at the sight of such a bulk.*
Tacta invidiâ tantæ mag- *Natos*] *Ranas, suam pro-*
nitudinis] *Struck with envy* *lem. Her offspring.*

Interrogavit, *An bove esset latior?* 5
 Illi negârunt. Rursûs intendit cutem
 Majore nisu; et simili quæsivit modo,
Quis major esset? Illi dixerunt, *Bovem:*
 Novissimè indignata, dum vult validiùs
 Inflare sese, rupto jacuit corpore. 10

Negârunt] Dixerunt eam *majorem.*
 non esse; *Said, No.* *Jacuit*] Usurpatur de iis
Nisu] *Strain, effort.* qui violentâ morte pereunt.
Bovem] Subauditur *esse* *Lay dead.*

FAB. XXV.

Rete ne tendas Accipitri et Milvio.

CANIS ET CROCODILUS.

CONSILIA qui dant prava cautis hominibus,
 Et perdunt operam, et deridentur turpiter.
 ¶ Canes currentes bibere in Nilo flumine,
 A Crocodilis ne rapiantur, traditum est.
 Igitur quùm currrens bibere cœpisset Canis, 5
 Sic Crocodilus: *Cr. Quamlibet lambe otio,*
Noli vereri. At ille: Ca. Facerem meherculè,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.

Consilia prava] *Insidious* *Lambe otio*] *Accede, pota*
Counsel. *leniter: Lap ut your leisure.*
Traditum est] *There is* *Nisi scirem*] *Was I not*
an old tradition. *sure.*
Crocodilus] *Inquit, ait.*

FAB. XXVI.

Par pari refertur.

VULPES ET CICONIA.

NULLI nocendum ; si quis verò læserit,
Multandum simili jure, fabella admonet.

¶ Vulpes ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitâsse, et illi in patinâ liquidam
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo 5
Gustare esuriens potuerit Ciconia :

Quæ Vulpem quùm revocâsset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit : huic rostrum inserens,
Satiatur ipsa, et torquet convivam fame :

Quæ quùm lagenæ frustrâ collum lamberet, 10
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus :
Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

Nulli nocendum] Subaud.
est. *We must injure no Man.*
Multandum] Subaud. esse
eum : *That he is to be
punished.*

Simili jure] *By the same
law ; or, after the same
manner.*

Illi posuisse] *To have set*

before her.

Quæ] i. e. *Ciconia.*
Revocâsset] i. e. *Revoca-
visset. Invited in her turn.*

Intrito] *Minced.*

Peregrinam] *Quæ quot-
annis peregrè abire et red-
ire solet.*

Æquo animo] *patiently.*

FAB. XXVII.

Avarus suus sibi Carnifex est.

CANIS, THESAURUS, ET VULTURIUS.

HÆC res avaris esse conveniens potest,
Et qui humiles nati, dici locupletes student.

¶ Humana effodiens ossa, thesaurum Canis
Invenit, et violârât quia Manes Deos,
Injecta est illi divitiarum cupiditas, 5
Pœnas ut sanctæ religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,
Fame est consumptus; quem stans Vulturius
super

Fertur locutus; O Canis, meritò jaces,
Qui concupisti subitò regales opes, 10
Trivio conceptus, et educatus stercore.

Res] Fabula: sic passim
apud Phædrum. *Fable.*

Conveniens] *Applicable.*

Et qui] *And to such, who.*

Humiles nati] *Being born
in a low estate.*

Student] *Affect.*

Ossa] Cibi scilicet gra-
tiâ.

Injecta] A diis nempè
iratis inmissa.

Sanctæ] Auctoritate le-
gum stabilitæ.

Religioni] Scilicet vio-
latæ.

Quem] *Super quem Vul-
turius stans, &c.*

Regales] Quales regem
decerent, regi aptiores
quàm tibi.

Trivio] *In trivio.*

FAB. XXVIII.

Ne magnus tenuem despicio.

VULPES ET AQUILA.

QUAMVIS sublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet solertiæ.

¶ Vulpinos catulos Aquila quondam sustulit,
Nidoque posuit pullis, escam ut carperent :
Hanc persecuta mater, orare incipit, 5
Ne tantum miseræ luctum importaret sibi.
Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab arâ rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis. 10
Aquila, ut periculo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

Quamvis] Quantum vis.
Sublimes] Homines loco
vel gradu altissimi.

Debent metuere] Have
reason to fear.

Docili solertiæ] To a
quick wit. Docilis, quia
facile quidvis arripit, et
suum facit: appositissimè
ad Vulpem; quæ ab arâ
fortè oculis oblatâ salutem
suis peperit insperatam.

Patet] Nihil enim est

quod vindicta ansam saga-
cibus non præbeat.

Nido] In nido.

Persecuta] Ad nidum
usque secuta, following
him.

Ipsa loco] Naturâ et situ
loci.

Ardentem facem] A
lighted brand.

Sanguinis] Of her young;
of her cubs.

FAB. XXIX.

Est cui magno constitit dicterium.

ASINUS IRRIDENS APRUM.

PLERUMQUE stulti risum dum captant levem,
Gravi destringunt alios contumeliâ,
Et sibi nocivum concitant periculum.

¶ Asellus Apro cùm fuisset obvius,
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat 5
Officium, et quærit, cur sic mentiri velit?

* * * * *

Repressit iram : et, *Facilis vindicta est mihi ;*
Sed inquinari nolo ignavo sanguine.

Risum dum] Dum quamvis levitè et inaniter jocandi occasionem arripere student.

Destringunt] *Grate, gall:* verbum balneorum, quo utuntur ad significationem deterisionis, quæ fit strigili. *Sch.*

Frater] Blanda salutantium vox.

Officium] *Compliment.*

Et] Subauditur *dixit.*

Facilis vindicta est mihi] *I can easily revenge myself.*

Ignavo] Ignavi animantis sanguine.

FAB. XXX.

Mala publica in plebem recidunt.

RANÆ METUENTES TAURORUM PRÆLIA.

HUMILES laborant, ubi potentes dissident.

¶ Rana, in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu, quanta nobis instat perniciēs! ait.

Interrogata ab aliâ, cur hoc diceret,

De principatu quum illi decertarent gregis, 5

Longèque ab illis degerent vitam boves?

Natiō, ait, separata, ac diversum est genus;

Sed, pulsus regno nemoris, qui profugerit.

Paludis in secreta veniet latibula,

Et proculcatas obteret duro pede. 10

Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

Laborant] Adfliguntur,
et periculis obnoxii sunt;
Suffer.

Aliâ] Ranâ.

Hoc] Nimirum quanta
nobis instat perniciēs!

Gregis] Vaccarum in
palude pascentium.

Boves] Vaccæ.

Natiō] The breed.

Proculcatas] Nos ranas.

Caput] Vitam.

Ita] Thus you see.

Pertinet] Pertingit; ex-
tendit se; concerns.

FAB. XXXI.

Cui fidas vide.

MILVIUS ET COLUMBÆ.

QUI se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.

¶ Columbæ sæpe quàm fugissent Milvium,
Et celeritate pennæ evitâssent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam, 5
Et genus inerme tali decepit dolo :
Quare sollicitum potius ævum ducitis,
Quàm regem me creatis, icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem injuriâ ?
Illæ credentes tradunt sese Milvio ; 10
Qui, regnum adeptus, coepit vesci singulas,
Et exercere imperium sævis unguibus.
De reliquis tunc una, Meritò plectimur.

Requirit] Looks for.
Invenit] Meets with.
Pennæ] Alarum.
Raptor] The Kite, a bird
of prey.
Vertit consilium] Turned
his thoughts.

Qui præstem] Who may
insure.
Singulas] Alias post ali-
as : nota Accusativum
post *vesci*. Sic VIRG. *ves-*
citur aurās.
Una] Subauditur *dixit*.

Sed si libuerit aliquid interponere
 Diversum, sensus ut delectet varietas, 10
 Bonas in partes, lector, accipias velim :
 Sic istam tibi rependet breuitas gratiam :
 Cujus verbosa ne sit commendatio,
 Attende cur negare cupidis debeas ;
 Modestis etiam offerre, quod non petierint. 15

Aliquid interponere] To insert any thing of my own. *Rependet tibi]* Shall recompense you.

FAB. I.

Sunt etiam sua præmia laudi.

LEO SAPIENS.

³ ⁴ ⁷ ⁵
 SUPER iuuentum stabat dejectum LEO :
 Prædator intervenit, partem postulans :
 Darem, inquit, nisi soleres per te sumere :
 Et improbum rejecit. Fortè innoxius
 Viator est deductus in eundem locum, 5
 Feroque viso, retulit retrò pedem.
 Cui placidus illè ; Non est quod timeas, ait :
 Et, quæ debetur pars tuæ modestiæ,

Stabat super] Stood victorious over.

Per te] i. e. vi, non rogatâ veniâ ; nedum impetratâ. *Of your own accord.*

Improbum] Audacem, et aliena, ut sua flagitantem. *The impudent fellow.*

Rejecit] Cum contemptu repulit.

Deductus] Tenore viæ ductus est.

Non est quod timeas] Non est quidquam in causâ, propter quod ;— *You have no reason to fear.*

Audacter tolle. Tunc diviso tergore,
Sylvas petivit, homini ut accessum daret. 10

¶ Exemplum egregium prorsus et laudabile :
Verum est aviditas dives, et pauper pudor.

Tolle] Partem.

Tergore] *The Chine.*

FAB. II.

Simile simili gaudet.

REPENTE CALVUS.

A FÆMINIS utcunque spoliari viros,
Ament, amentur, nempè exemplis discimus.

¶ Ætatis mediæ quendam mulier non rudis
Regebat, annos celans elegantia :
Animosque ejusdem pulchra juvenis ceperat. 5
Ambæ videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cœpère invicem.

Utcunque] Quôvis modo.
Be it how it will.

Ament, amentur] Sivè
ament, sivè amentur fœ-
minæ.

Nempè] Clarè vides.

Quendam] MS. *quædam*,
lineolâ superductâ.

Mulier non rudis] *A cun-
ning woman.*

Annos] Heinsius *canos* ;
non placet.

Elegantia] *By her neat-
ness in dress.*

Pares] Refertur ad ex-
ternam speciem. *Sch.*

Homini] Malo sensu, ut
sexcenties apud Teren-
tium. Anglicè, *The poor
fellow.*

Quùm se putaret pingi curâ mulierum,
 Calvus repentè factus est : nam funditùs
 Canos puella, nigros anus evellerat. 10

Se pingi] That he was set off.

FAB. III.

Impunitas peccandi illecebra.

HOMO ET CANIS.

LACERATUS quidam morsu vehementis canis,
 Tinctum cruore panem misit malefico,
 Audierat esse quod remedium vulneris.
 Tunc sic Æsopus : *Noli coram pluribus*
Hoc facere canibus, ne nos vivos devorent ; 5
Quùm scierint esse tale culpæ præmium.

¶ Successus improborum plures allicit.

Vehementis] Angry. to the cur that had done the
Misit malefico] Threw mischief.

FAB. IV.

Vir dolosus seges est mali.

AQUILA, FELIS, ET APER.

AQUILA in sublimi quercu nidum fecerat :
 Felis cavernam nacta in mediâ pepererat :
 Sus, nemori-cultrix, foetum ad imam posuerat.

Sublimi] In sublimitate Nemori-cultrix] Unâ
quercûs ; in vertice, Upon voce ; ut sylvi-cultrix, quæ
the top of an oak. habitat sylvas. An inhabi-

Mediâ] Subaud. quercu. tant of the woods.

Tum fortuitum Felis contubernium
 Fraude et scelestâ sic evertit malitiâ.
 Ad nidum scandit volucris : *Pernicies*, ait,
Tibi paratur, forsân et miseræ mihi :
Nam fodere terram quòd vides quotidie
Aprum insidiosum, quercum vult evertere,
Ut nostram in plano facilè progeniem opprimat.
 Terrore offuso, et perturbatis sensibus, 11
 Derepit ad cubile setosæ Suis :
Magno, inquit, in periculo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi. 15
 Hunc quoque timore postquam complevit locum,
 Dolosa tuto condidit sese cavo :
 Indè evagata noctu suspenso pede,
 Ubi esca se replevit et prolem suam,
 Pavorem simulans prospicit toto die. 20
 Ruinam metuens Aquila ramis desidet ;
 Aper rapinam vitans non prodit foras.
 Quid multa ? Inediâ sunt consumpti cum suis ;

Fortuitum contubernium]
Their chance neighbour-
hood.

Quòd] *Whereas.*

Plano] *Solo Suband.*

Offuso] *Being presented*
to her thoughts.

Derepit] *Malè direpit.*

Simul] *Simul ac ; statim*
postquam. As soon as.

Tuto] *MS. toto ; Hein-*
sius, noto.

Suspenso pede] *Softly, on*
tip-toe.

Prospicit] *Timorem et*
vigilantiam denotat.

Ruinam] *Quercûs.*

Quid multa?] *Propter*
quid multa loquor ? In
short.

Felisque catulis largam præbuerunt dapem.

¶ Quantùm homo bilinguis sæpe concinnet
mali, 25

Documentum habere stulta credulitas potest.

Præbuerunt] Tertiâ syllabâ brevi. Sic *miscuerunt, dederunt, &c.*
Concinnet] Misceat, arte paret, aliis propinan-

dum; *contrives.*
Credulitas] Frequentissimum Phædro loquendi genus. Stultè creduli; *The foolishly credulous.*

FAB. V.

Ne quid nimis.

CÆSAR AD ATRIENSEM.

Est Ardelionum quædam Romæ natio,
Trepidè concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, et aliis odiosissima.

Hanc emendare, si tamen possum, volo 5
Verâ fabellâ: pretium est operæ attendere.

¶ Cæsar Tiberius quum petens Neapolim,
In Misenensem villam venisset suam,
Quæ monte summo posita Luculli manu,
Prospectat Siculum et prospicit Tuscum mare:

Trepidè] Cum dubitatione et incertitudine propositi. *Sch.* Anglicè, *In a hurry.*
Multa agendo] *Undertaking many things.*
Nihil agens] *Performing nothing.*

Si tamen possum] *If I can.*
Attendere] Animum ad eam.
In villam Misenensem] *To his country-seat upon Mount Misenus.*

Ex alticinctis unus Atrienibus, 11
 Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
 Erat destricta, cirris dependentibus,
 Perambulante læta domino viridaria,
 Alveolo cœpit ligneo conspergere 15
 Humum æstuantem, come officium jactitans :
 Sed deridetur. Indè notis flexibus
 Præcurrit alium in Xystum, sedans pulverem.
 Agnoscit hominem Cæsar, remque intelligit.
 Id ut putavit esse nescio quid boni, 20
Heus, inquit dominus : ille enimverò adsilit,
 Donationis alacer certæ gaudio.
 Tum sic jocata est tanti majestas Ducis :
Non multum egisti, et opera nequicquam perit ;
Multò majoris alapæ mecum veneunt. 25

Alticinctis] Notably ac-
tive.

Linteo Pelusio] Ægyptiaco. Pelusium enim oppidum Ægypti, ubi linteæ fiebant vestes. Anglicè, *Sash*.

Cirris] *The fringe of the sash.*

Domino] Imperatore Tiberio. Imperatores enim *Domini* vocabantur.

Viridaria] Idem quod *viridiu*.

Alveolo ligneo] *Wooden scoop.*

Officium] Ministerium urbanum ; *his complaisant service.*

Alapæ] Libertas ; accepta enim à dominis *alapâ*, servi fiebant liberi. Anglicè, *cuffs*.

Mecum] *At my house.*

FAB. VI.

Potentiam malitiâ adjutam quis effugiat ?

AQUILA, CORNIX, ET TESTUDO.

CONTRA potentes nemo est munitus satis ;
Si verò accessit consiliator maleficus,
Vis et nequitia quidquid oppugnant, ruit.

¶ Aquila in sublime sustulit Testudinem ;
Quæ quùm abdidisset corneâ corpus domo, 5
Pacto nec ullo lædi posset condita,
Venit per auras Cornix ; et propter volans ;
C. *Opimam sanè prædam rapuisti unguibus,*
Sed, nisi monstrâro quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabis pondere. 10
Promissâ parte, suadet ut scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem ;
Quâ comminutâ facilè vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul et magistræ largè divisit dapem. 15
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus, occidit tristi nece.

Accessit] Potentibus,
scil. *joins with them.*

Sublime] Cœlum.

Abdidisset] E conspectu
hominum amovisset.

Corneâ] Durâ in testâ.

Condita] Sic condita,
Being so lodged.

Propter] Prope aquilam,
near to the Eagle.

Opimam] Magnificam,
nobilem, pinguem.

Inducta] Ad credendum,
scil. *Being persuaded.*

Impar] Inferior duabus
robore, *not a match.*

FAB. VII.

Plura timenda divitibus.

MULI DUO ET LATRONES.

MULI gravati sarcinis ibant duo :
 Unus ferebat fiscos cum pecuniâ,
 Alter tumentes multo saccos hordeo.
 Ille onere dives, celsâ cervice eminens,
 Clarâque collo jactans tintinnabulum : 5
 Comes quieto sequitur et placido gradu.
 Subitò Latrones ex insidiis advolant,
 Intérque cædem ferro mulum tonsitant :
 Diripiunt nummos : negligunt vile hordeum.
 Spoliatus igitur casus quàm fleret suos ; 10
 Equidem, inquit alter, me contemptum gaudeo ;
 Nam nil amisi, nec sum læsus vulnere.

¶ Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,
 Magnæ periculo sunt opes obnoxix.

Collo] In, scil. About his neck.

Advolant] Spring upon them.

Inter cædem] Amidst the scuffle. Eorum nempe qui mulos agebant.

Tonsitant] V. Cod. quod jure præferatur, vel τῆ trusitant, vel tusitant : tonsitant, Anglicè, *Slash*.

Equidem] I, for my part.

Tenuitas] The low Estate.

FAB. VIII.

Plus videas tuis oculis quàm alienis.

CERVUS ET BOVES.

CERVUS nemorosis excitatus latibulis,
 Ut venatorum fugeret instantem necem,
 Cæco timore proximam villam petit,
 Et opportuno se bovili condidit.
 Hic bos latenti : B. *Quidnam voluisti tibi,* 5
Infelix, ultrò qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto spiritum commiseris ?
 At ille supplex ; C. *Vos modò, inquit, parcite :*
Occasione rursùs erumpam datâ,
 Spatium diei noctis excipiunt vices ; 10
 Frondem bubulcus adfert, nec ideò videt.
 Eant subindè et redeunt omnes rustici ;
 Nemo animadvertit : transit etiam villicus,
 Nec ille quidquam sentit. Tum gaudens ferus
 Bobus quietis agere cœpit gratias, 15
 Hospitium adverso quòd præstiterint tempore.

Voluisti tibi] Did you propose to yourself.

Hominum] Tibi maximè infensorum.

Tecto] Roof.

Spiritum] Your Life.

Spatium] Quia Sol suum exigit cursum interdiu.

Vices] Nox suâ vice reversa excipit, et succedit diei.

Adfert] Ad præsepe.

Animadvertit] Cervum latitantem.

Villicus] The Steward of the Villa.

Ille] Herus.

Respondit unus : B. *Salvum te cupimus quidem,
Sed ille, qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periculo vita versatur tua.*

Hæc inter, ipse dominus à cœnâ redit; 20

Et quia corruptos viderat nuper Boves,

Accedit ad præsepe : D. *Cur frondis parùm est?*

Stramenta desunt? Tollere hæc aranea

Quantùm est laboris? Dum scrutatur singula,

Cervi quoque alta est conspicatus cornua; 25

Quem convocatâ jubet occidi familiâ,

Prædámque tollit. ¶ Hæc significat fabula,

Dominum videre plurimùm in rebus suis.

*Hæc inter] Amidst all Were foul and lean.
this. Videre plurimùm] Is
Corruptos] Esse, scil. sharpest sighted.*

EPILOGUS.

Invidia virtutum comes.

Æsopi ingentem statuam posuere Attici,

Servúmque collocârunt æternâ in basi;

Patere honoris scirent ut cuncti viam,

*Æsopi] MS. lectio. Edi- gratissimam.
ti Æsopo: quod nescio Servum] Licet esse ser-
quomodo non æquè mihi vus, nempe quia his con-
arridet. Gudius Æsopi cessus iste honor non fuit.
ingenio legit: at prior lec- In basi] Upon a Pedes-
tio simplicitatem habet tal.*

Nec generi tribui, sed virtuti, gloriam.
 Quoniam occupârat alter, ne primus forem, 5
 Ne solus esset, studui; quod superfuit:
 Nec hæc invidia, verùm est æmulatio.
 Quòd si labori faverit Latium meo,
 Plures habebit; quos opponat Græciæ.
 Si livor obtrectare curam voluerit, 10
 Non tamen eripiet laudis conscientiam.
 Si nostrum studium ad aures pervenit tuas,
 Et arte fictas animus sentit fabulas,
 Omnem querelam submovet felicitas.
 Sin autem doctus illis occurret labor, 15
 Sinistra quos in lucem natura extulit,
 [Nec quidquam possunt nisi meliores carpere,]
 Fatale exitium corde durato feram,
 Donec Fortunam criminis pudeat sui.

Latium] Latini, Romani.

Plures] Scriptores, meo exemplo impulsos.

Livor] Invidia.

Obtrectare] MS. *Obiectare*, non malè.

Curam] Scripta diligenter opera, labores doctos. *My careful Compositions.*

Eripiet] Mihi.

Laudis conscientiam] *The inward Persuasion I have*

of my own Worth.

Arte] Artificiosè.

Sentit] Gustat, rectè capit. *Relisheth.*

Omnem querelam] Omnem querendi occasionem.

Submovet] Longè amovet, tollit.

Occurret] Ad manus pervenit.

Sinistra] Maligna.

Possunt] Subaud. facere.

PHÆDRI FABULARUM

LIBER III.

PHÆDRUS AD EUTYCHUM.

PHÆDRI libellos legere si desideras,
Vaces oportet, Eutyche, à negotiis,
Ut liber animus sentiat vim carminis.
*Verùm, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum ut horæ pereat officiis meis.* 5
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices: *Aliquæ venient feriæ,
Quæ me soluto pectore ad studium vocent.*

A negotiis] Curis publici officii. *Vitu negotiosa* opponitur otiosæ et literis deditæ.

Liber] A negotiis, dis-

engaged.

Tanti] Pretii.

Soluto] A curis libero; *Soluto pectore, with unbended Thoughts.*

Legesne, quæso, potiùs viles nœnias, 10
 Impendas curam quàm rei domesticæ,
 Reddas amicis tempora, uxori vaces,
 Animum relaxes, otium des corpori,
 Ut assuetam fortiùs præstes vicem ?
 Mutandum tibi propositum est, et vitæ genus,
 Intrare si Musarum limen cogitas. 16
 Ego, quem Pierio mater enixa est jugo,
 In quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi,
 Fœcunda novies, artium peperit chorum :
 Quamvis in ipsâ penè sim natus scholâ, 20
 Curamque habendi penitùs corde eraserim,
 Et laude invitâ vitam in hanc incubuerim,
 Fastidiosè tamen in cœtum recipior.

Viles nœnias] Fabulas inutiles, et nugatorias; *Worthless Fables.*

Impendas] Des operam rei familiari.

Reddas tempora] Return their Visits.

Uxori] Cum uxore, sepositis curis, liberè et jocosè colloquaris.

Limen] Ædes, templum; i. e. doctrinæ adyta.

Pierio] Monte Pierio. Pierius autem olim mons Thraciæ: Thrax verò natione fuit Phædrus.

Enixa est] Peperit, brought forth.

Artium] Musarum, quæ artes invenerunt.

Chorum] Cantu enim celebres Musæ.

Scholâ] Ut qui natus sit in monte Pierio, apud Musas, artium doctrices.

Habendi] Parandi divitias, of getting Riches.

Eraserim] E corde raserim; ne desit locus literarum impressionibus.

Laude invitâ] Gaudius laude multâ, i. e. multorum vivorum. Gronov. legit laude nudâ; Johnson, laude invitatus; invited by the Thirst of Praise.

Quid credis illi accidere, qui magnas opes
 Exaggerare quærit omni vigiliâ, 25
 Docto labori dulce præponens lucrum?
 Sed jam, *quodcunque fuerit* (ut dixit Sinon,
 Ad regem quùm Dardaniæ perductus foret,)

Librum exarabo tertium Æsopi stylo,
 Honori et meritis dedicans illum tuis. 30
 Quem si leges, lætabor: sin autem minùs,
 Habebunt certè, quo se oblectent, posterì.

Nunc, *fabularum* cur sit inventum genus,
 Brevi docebo. Servitus obnoxia,
 Quia, quæ volebat, non audebat dicere, 35
 Affectus proprios in fabellas transtulit,
 Calumniamque fictis elusit jocis.

Ego illius pro semitâ feci viam,
 Et cogitavi plura quàm reliquerat,
 In calamitatem deligens quædam meam. 40
 Quòd si accusator alius Sejano foret,
 Si testis alius, iudex alius denique,
 Dignum faterer esse me tantis malis;
 Nec his dolorem delenirem remediis.

Quid credis] Quomodo fiet ille doctus? vel, si ego ægrè recipior, ille certè rejicitur.

Regem] Priamum, Trojæ regem, quæ Dardania fuit vocata.

Minùs] Non legeris.

Certè] Saltem.

Servitus] Æsopus servus.

Obnoxia] Alieno arbitrio subjecta.

Calumniam] Calumniatores, eorumque malitiam; *Accusation.*

Elusit] Evasit, effugit, et ingenii sui versutiâ irritam et innocuam fecit: *Baffled.*

Cogitavi] Excogitavi, *invented.*

Sejano] *Sejano* pro à *Sejano*; i. e. quàm *Sejanus.*

Suspectione si quis errabit suâ, 45
 Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
 Stultè nudabit animi conscientiam.
 Huic excusatum me velim nihilo minùs :
 Neque enim notare singulos mens est mihi,
 Verùm ipsam vitam et mores hominum osten-
 dere. 50

Rem me professum dicet fors aliquis gravem.
 Si Phryx Æsopus potuit, Anacharsis Scytha
 Æternam famam condere ingenio suo ;
 Ego, literatæ qui sum propior Græciæ,
 Cur somno inertì deseram patriæ decus ? 55
 Threïssa quàm gens numeret auctores suos,
 Linóque Apollo sit parens, Musa Orpheo,
 Qui saxa cantu movit, et domuit ferás,
 Hebrique tenuit impetus dulci morâ.
 Ergo hinc abesto, Livor, ne frustrà gemas, 60
 Quoniam perennis mihi debetur gloria.
 Induxi te ad legendum ; sincerum mihi
 Candore noto reddas iudicium peto.

Suspectione] Bentleius et alii cod. habent *Suspicionem*.

Fors] Olim *forsan* et *forsitan* : utrumque pro *fors*.

Anacharsis] Philosophus, carpenti libertate insignis.

Condere] Sibi comparare, extruere.

Deseram] Omittam ornare, promoverè. *Deseram patriæ decus* ; *Be wanting to the Glory of my Country*.

Musa] Calliope.

Hebri] Hebrus fluvius Thraciæ rapidus, ubi Orpheus periit à Mænadibus discerptus.

FAB. I.

Rei bonæ vel vestigia delectant.

ANUS AD AMPHORAM.

Anus jacere vidit epotam amphoram,
 Adhuc Falernâ fæce, et testâ nobili,
 Odorem quæ jucundum latè spargeret.
 Hunc postquam totis avida traxit naribus ;
 O *suavis anima!* qualem te dicam bonam 5
 Antehac fuisse, tales eùm sint reliquæ?

¶ Hoc quò pertineat dicet, qui me noverit.

<i>Falernâ fæce]</i> From the	<i>with open</i>	<i>Nostrils.</i>
<i>Dregs of the</i>	<i>Falernian</i>	<i>Anima]</i> Breath.
<i>Wine.</i>	<i>Qualem bonam]</i>	<i>How</i>
<i>Testâ nobili]</i> The noble-	<i>good.</i>	
<i>ness of the Cask.</i>	<i>Me]</i> Suam innuit Phæ-	
<i>Totis]</i> Patentibus, vel	<i>drus etiam senectutem</i>	
<i>ambabus; totis naribus,</i>	<i>esse jucundam.</i>	

FAB. II.

Benefico benè erit.

PANTHERA ET PASTORES.

SOLET à despectis par referri gratia.

¶ Panthera imprudens olim in foveam deci-
 dit.

Vidère agrestes : alii fustes congerunt,

<i>Gratia]</i> Comicè dictum.	<i>videns.</i>
<i>Imprudens]</i> Non pro-	<i>Foveam]</i> A Pit-trap.

Alii onerant saxis : quidam contrà miseriti,
 Perituræ quippe, quamvis nemo læderet, 5
 Misère panem, ut sustineret spiritum.
 Nox insecuta est, abeunt securi domum,
 Quasi inventuri mortuam postridiè.
 At illa, vires ut refecit languidas,
 Veloci saltu foveâ sese liberat, 10
 Et in cubile concito properat gradu.
 Paucis diebus interpositis, provolat,
 Pecus trucidat, ipsos pastores necat,
 Et euncta vastans, sævit irato impetu.
 Tum sibi timentes, qui feræ pepercerant, 15
 Damnum haud recusant, tantum pro vitâ rogant.
 At illa; *Memini, qui me saxo petierint,*
Qui panem dederint : vos timere absistite ;
Illis revertor hostis, qui me læserant.

Misère] Illi, sc. *Threw* dictæ studio.
her. *Haud recusant]* *Grudge*
Sustineret] Panis. *not.*
Securi] Agrestes, curâ
vacui. *Damnum]* Jacturam pe-
Inventuri] Subaud. *es-* *corum. The loss of their*
sent. *Cattle.*
Refecit] *Recruited.* *At illa]* Sic Heinsius ;
Foveâ] *E. foveâ ; ele-* *olim et : The Panther says.*
ganter autem liberat, quia *Memini]* Eorum, scil.
ibi erat capta.. *Timere]* *Lege timore.*
Provocat] Cubili, scil. *Gudius.*
Concito] Furore, et vin- *Læserant]* MS. *læserunt,*
rectè.

FAB. III.

Experientia præstantior arte.

[*Hæc FABULA omittitur.*]

FAB. IV.

Mentem hominis spectato, non frontem.

SIMII CAPUT.

PENDERE ad Lanium quidam ut vidit Simium,
Inter reliquas merces atque opsonia ;
Quæsivit, *Quidnam saperet?* Tum Lanus jocans ;
Quale, inquit, caput est, talis præstatur sapor.

¶ *Ridiculè magis hoc dictum, quàm verè,*
æstimo, 5

Quando et formosos sæpè inveni pessimos ;
Et turpi facie multos cognovi optimos.

Ad Lanium] Apud Lanium, at a Butcher's Shop.

Quidnam saperet] Quem saporem habuit, how it tasted?

Præstatur] Talem in me recipio fore saporem. *Præsto enim,* Anglicè, *to war-*

rant.

Ridiculè] Jocosè. Ad excitandum risum: *Merrily.*

Cognovi] Longo usu et experienciâ tandem sensi, *I have known by experience.*

FAB. V.

Erit ubi pœnas det proçax Audacia.

ÆSOPUS ET PETULANS.

SUCCESSUS ad perniciem multos devocat.

¶ Æsopo quidam Petulans lapidem impegerat ;

Tantò, inquit, *melior*. Assem deinde illi dedit,
Sic prosecutus : *Plus non habeo meherculè ;*

Sed undè accipere possis, monstrabo tibi. 5

*Venit ecce dives et potens : huic similiter
Impinge lapidem, et dignum accipies præmium.*

Persuasus ille, fecit quod monitus fuit.

Sed spes fefellit impudentem audaciam ;

Comprênsus namque, pœnas persolvit cruce. 10

Devocat] Lures down.

Persolvit pœnas] He

Potens] Cui potestas est, *made ample satisfaction.*
nimirùm puniendi.

FAB. VI.

Ridenda imbecillorum superbiloquentia.

MUSCA ET MULA.

MUSCA in temone sedit, et Mulam increpans,

Quàm tarda es! inquit : *non vis citiùs progredi?*

Vide; ne dolone collum compungam tibi.

Increpans] Acriter ob-
jurgans, *rating.*

Vide, ne] Ultima in *Vide*
corripitur, quod Gudius
quoque observavit.

Dolone] Per fastum de

aculeo suo sic loquitur.

Dolon enim propriè gla-
dius, aut cuspis ferrea, in
baculo recondita. Scheff.
Anglicè, *A tuck, a goad.*

Respondit illa : *Verbis non moveor tuis ;*
Sed istum timeo, sellâ qui primâ sedens, 5
Jugum flagello temperat lento meum,
Et ora frænis continet spumantibus ;
Quapropter aufer frivolum insolentiam ;
Namque ubi strigandum est, et ubi currendum,
scio.

¶ Hâc derideri fabulâ meritò potest, 10
 Qui, sine virtute, vanas exercet minas.

Compungam] Vehementer pungam.

Moveor] Eleganter. Hic enim *moveor* tum primum tum mutuatium continet sensum.

Primâ] *Fore-seat, Coach-box.*

Frivolum] Vanam, cui nullæ subsunt vires ; *groundless.*

Virtute] Viribus, *Power.*

FAB. VII.

Liber inops servo divite felicior.

CANIS ET LUPUS.

QUAM dulcis sit libertas, breviter proloquar.

¶ Cani perpasto macie confectus Lupus
 Fortè occurrit : salutantes dein invicem
 Ut restiterunt ; L. *Unde sic, quæso, nites ?*
Aut quo cibo fecisti tantum corporis ? 5
Ego, qui sum longè fortior, pereor fame,
Canis simpliciter ; Eadem est conditio tibi,
Præstare domino si par officium potes.
 L. *Quod ?* inquit ille. C. *Custos ut sis liminis,*

F

A furibus tuearis et noctu domum. 10

*L. Ego verò sum paratus. Nunc patior nives
Imbresque, in sylvis asperam vitam trahens.*

*Quantò est faciliùs mihi sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo?*

*C. Veni ergò mecum. Dum procedunt, adspicit
Lupus à catenâ collum detritum Canis.* 16

*L. Unde hoc, amice? C. Nihil est. L. Dic,
quæso, tamen.*

*C. Quia videor ucer, alligant me interdù,
Luce ut quiescam, et vigilem nox quùm venerit :
Crepusculo solutus, quà visum est vagor :* 20

*Adfertur ultrò panis : de mensá suá
Dat ossa dominus : frusta jactat familia,
Et, quod fastidit quisque, pulmentarium :
Sic sine labore venter impletur meus.*

L. Age, si quò abire est animus, est licentia? 25

*C. Non planè est, inquit. L. Fruere quæ laudas,
Canis :*

Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

A furibus] Ordo verborum---*Et noctu tuearis domum à furibus.*

Ego verò] *I, for my part.*

Trahens] *Ægrè ducens.*

Otiosum] *Observe illud otiosum, cum præcesserat mihi.*

Quà visum est] *Mihi, scil. Wherever I please.*

Ultrò] *Without my seeking.*

Dat ossa] *MS. datur ossa ; unde Salmasius, dat rosa. Gudius.*

Familia] *Servi.*

Age, si quò abire] *Ita Faber, metro postulante.*

Mihi] *Libertatem innuit nullatenùs impeditam.*

FAB. VIII.

Sat pulcher, qui sat bonus.

FRATER ET SOROR.

PRÆCEPTO monitus, sæpè te considera.

¶ Habebat quidam filiam turpissimam,
 Idémque insigni et pulchrâ facie filium.
 Hi, speculum in cathedrâ matris ut positum fuit,
 Pueriliter ludentes, fortè inspexerant. 5
 Hic se formosum jactat : illa irascitur,
 Nec glorientis sustinet fratris jocos,
 Accipiens (quid enim ?) cuncta in contumeliam.
 Ergo ad patrem decurrit, læsura invicèm,
 Magnâque invidiâ criminatur filium, 10
 Vir natus, quòd rem fœminarum tetigerit.
 Amplexus ille utrumque, et carpens oscula,
 Dulcémque in ambos caritatem partiens ;
 Quotidiè, inquit, speculo vos uti volo :
 Tu, formam ne corrumpas nequitiaè malis : 15
 Tu, faciem ut istam moribus vincas bonis.

Præcepto] Mallem præcepto hoc : scripsit Phædrus *Præceptoc.* Sch.

Quid enim ?] For how could she do otherwise ?

Invidiâ] Spleen, Aggravation.

Vir natus] Sic Apul. si resistere vir natus mulieri nequibas. Scheff.

Rem] Speculum vult, et alia id genus, cultui servientia. Sch. Fab.

Istam] Tam deformem.

FAB. IX.

Fidelem ubi invenias virum?

SOCRATIS DICTUM.

VULGARE amici nomen, sed rara est fides.

¶ Quùm parvas ædes sibi fundasset Socrates,
(Cujus non fugio mortem, si famam adsequar;
Et cedo invidiæ, dummodò absolvar cinis.)

E populo sic, nescio quis, ut fieri solet; 5

Quæso, tam angustam, talis vir, ponis domum?

Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam.

Non fugio] Amplecti
paratus sum.

Cedo invidiæ] *I am con-*
tent to be envied.

Cinis] Cùm cinis factus
fuero: *When I am become*
ashes.

Nescio quis] Subaud.
dixit.

Talis] Tu talis vir cùm
sis: *talis pro tantus. You*
who are so great a Man.

Hanc] *Even this House.*

FAB. X.

Ne sis credulus, maximè criminatori.

RES GESTA SUB AUGUSTO.

PERICULOSUM est credere, et non credere.
Utriusque exemplum breviter exponam rei.

Hippolitus obiit, quia novercæ creditum est :

Cassandræ quia non creditum ruit Ilium.

Ergo exploranda est veritas multùm priùs, 5
Quàm stulta pravè judicet sententia.

Sed fabulosâ ne vetustate eleves,

Narrabo tibi memoriâ quod factum est meâ.

¶ Maritus quidam quùm diligeret conjugem,
Togâque puram jam pararet filio ; 10

Seductus in secretum à liberto est suo,

Sperante hæredem suffici se proximum :

Qui, cùm de puero multa mentitus foret,

Et plura de flagitiis castæ mulieris,

Adjecit id (quod sentiebat maximè 15

Doliturum amanti) : *ventitare adulterum,*

Stuprôque turpi pollui famam domâs.

Incensus ille falso uxoris crimine,

Simulavit iter ad villam, clâmque in oppido

Subsedit : deinde noctu subitò januam 20

Intravit, rectâ cubiculum uxoris petens,

In quo dormire mater natum jusserat,

Ætatem adultam servans diligentius.

Obiit] MS. obit.

Novercæ] Phædræ.

Creditum] A Theseo.

Exploranda est multùm]

Diu et accuratè expenden-
da, consideranda : *Ought*
to be searched into.

Fabulosâ vetustate] *By*
antiquated Stories.

Puram] *Plain, without*

trimming. Toga enim
puerorum, donec quintum
vel sextum-decimum an-
num attigissent, prætex-
tam habebat purpuram.
Sch.

Seductus est] *He was*
taken aside.

Uxoris crimine] Crimi-
natione, accusatione.

Dum quærunl lumen, dum concursant familia,
 Iræ furentis impetum non sustinens, 25
 Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput :
 Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit,
 Nihil respiciens dum dolorem vindicet.
 Lucernâ adlatâ, simul adspexit filium,
 Sanctoque uxorem dormientem cubiculo, 30
 Sopita primo quæ nil somno senserat ;
 Repræsentavit in se pœnam facinoris,
 Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
 Accusatores postulârunt mulierem,
 Româmque pertraxerunt ad Centumviros. 35
 Maligna insontem deprimit suspicio
 Quodd bona possideat : Stant patroni, fortiter
 Causâm tuentes innocentis fœminæ.
 A Divo Augusto tunc petiêre iudices,
 Ut adjuvaret jurisjurandi fidem, 40
 Ipsos quodd error implicuisset criminis.

Concursant] Sic MS. rectè : *familia* enim plures denotat.

Respiciens] Curans, pensi habens.

Dolorem] *Resentment*.

Simul adspexit] Salmas. Simul ac spexit.

Repræsentavit] Repræsentare pecuniam, Anglicè, *To pay down on the spot*. Ita hic, solennis vox, cum de pœnâ ipsum factum illicè consecutâ sermo

est. Gadius.

Credulitas] Credulis ille.

Postulârunt] *Sued.* Postulârunt ad iudicium venire.

Centumviros] Iudices erant, apud quos agebantur causæ graviores, inde centum virales dictæ.

Implicuisset] Incertos quid iudicarent, reddidisset.

Ipsos] Quantumvis iudices constitutos.

Qui postquam tenebras dispulit calumniæ,
 Certúmque fontem veritatis repperit ;
Luat, inquit, pœnas causa libertus mali :
Namque orbam nato simul, et privatam viro, 45
Miserandam potiùs quàm damnandam existimo.
 Quòd si damnanda perscrutatus crimina
 Paterfamilias esset, si mendacium
 Subtiliter limâsset, à radicibus
 Non evertisset scelere funesto domum. 50

¶ Nil spernat auris, nec tamen credat statim :
 Quandoquidem et illi peccant, quos minimè
 putes ;

Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.

¶ Hoc admonere simplices etiam potest,
 Opinione alterius ne quid ponderent. 55
 Ambitio namque dissidens mortalium
 Aut gratiæ subscribit, aut odio suo.
 Erit ille notus, quem per te cognoveris.

¶ Hæc exsecutus sum propterea pluribus,
 Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

Tenebras] Calumniam *arts.*
 obscuritate involutam de-
 texere.

Minimè] Peccaturos,
 subaud.

Impugnantur fraudibus]
Are attacked by knavish

Ne quid] MS. *ne quis*
sponderet. Prasch. ne quis
pendeat.

Ponderent] Æstiment.

Per te] *By your own*
Inquiry.

FAB. XI.

Deformitas dolenda, quæ ex merito venit.

[*Hæc FABULA omittitur.*]

FAB. XII.

Optima sæpè despecta.

MARGARITA IN STERQUILINIO.

IN sterquilinio pullus gallinaceus,
 Dum quærit escam, margaritam repperit;
Jaces indigno, quanta res, inquit, loco?
O si quis pretii cupidus vidisset tui,
Olim redisses ad splendorem maximum! 5
Ego, qui te inveni, potior cui multò est cibus,
Nec tibi prodesse, nec mihi quidquam potes.

¶ Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

Quanta] Quàm pretiosa.
 Gadius et Heinsius legunt,
 O. quanta res!--How valuable a thing!

Cupidus pretii tui] Fond of your Worth.

Prodesse] Pendet à verbo *possum* subintellecto.

Potes] *Nec mihi secundum quidquam*, i. e. ullatenus *potes prodesse*.

FAB. XIII.

Opus artificem probat.

APES ET FUCI, VESPA JUDICE.

APES in altâ quercu fecerant favos :
 Hos Fuci inertes esse dicebant suos.
 Lis ad forum deducta est, Vespâ judice :
 Quæ genus utrumque nôsset cùm pulcherrimè,
 Legem duabus hanc proposuit partibus : 5
Non inconueniens corpus, et par est color,
In dubium planè res ut meritò venerit :
Sed, ne religio peccet imprudens mea,
Alveos accipite, et ceris opus infundite ;
Ut ex sapore mellis, et formâ favi, 10
De quîs nunc agitur, auctor horum appareat.
 Fuci recusant : Apibus conditio placet.
 Tunc illa talem sustulit sententiam :
Apertum est, quis non possit, aut quis fecerit ;
Quapropter Apibus fructum restituo suum. 15
 ¶ Hanc præterissem fabulam silentio,
 Si pactam Fuci non recusâssent fidem.

Pulcherrimè] Optimè :
 passim occurrit in Phædro.

Legem] Conditionem.

Inconueniens] Non dissimile est vobis corpus.

Ut planè] So that to confess the Truth.

In dubium venerit] Is come into Debate.

Opus] Mel, Honey.

Sustulit] Pronounced.

Possit] Facere, sub.

Fructum suum] The Fruit of their Labour.

FAB. XIV.

Otiare, quò labores.

ÆSOPUS LUDENS.

PUERORUM in turbâ quidam ludentem Atticus
 Æsopum nucibus quàm vidisset, restitit,
 Et quasi delirum risit : quod sensit simul
 Derisor potiùs, quàm deridendus senex ;
 Arcum retensum posuit in mediâ viâ : 5
Heus, inquit, sapiens, expedi quid fecerim.
 Concurrit populus : ille se torquet diù,
 Nec quæstionis positæ causam intelligit :
 Novissimè succumbit. Tum victor sophus :
Citò rumpes arcum, semper si tensum habueris ;
At si laxâris, quàm voles, erit utilis. 11

¶ Sic ludus animo debet aliquando dari,
 Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

Retensum] *Unbent ; un-* *Invention.*
strung. *Novissimè]* *Tandem, last*
Sapiens] *Per Ironiam ; of all.*
Wise-acre. *Sophus]* *Philosophus.*
Expedi] *Explica, expo-* *Utilis]* *Utibilis ; Ser-*
ne ; unriddle. *viceable, fit to use.*
Se torquet] *Racks his*

FAB. XV.

Qui educat, pater magis, quàm qui genuit.

AGNUS à CAPELLA NUTRITUS.

INTER Capellas Agno balanti Canis,
 Stulte, inquit, erras ; non est híc mater tua :

Ovesque segregatas ostendit procul.

A. *Non illam quæro, quæ, quùm libitum est, concipit,*

Dein portat onus ignotum certis mensibus, 5

Novissimè prolapsam effundit sarcinam ;

Verùm illam, quæ me nutrit, admoto ubere,

Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.

C. *Tamen illa est potior, quæ te peperit.* A.

Non ita est.

Unde illa scivit, niger an albus nascerer ? 10

Age porrò scisset : quùm crearer masculus ;

Beneficium magnum sanè natali dedit,

Ut expectarem lanium in horas singulas.

Cujus potestas nulla in gignendo fuit,

Cur hæc sit potior, quæ jacentis miserita est, 15

Dulcémque sponte præstat benevolentiam ?

Facit parentes bonitas, non necessitas.

¶ His demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus, meritis capi.

Illam] Ovem.

Prolapsam] Utero.

Illam] Subaud. *quæro capellam.*

Desit] Nimirùm *lac.*

Scisset] Scivisset: Elliptica est oratio; sin etiam finge vel fac si scivisset.

Grant she had known.

Natali] Alludit ad morem dona mittendi natali die.

Necessitas] Naturæ. Vide Gronov. Observ.

Meritis] Benè meritis, beneficiis duci in amorem. *Capi meritis, won by kindnesses.*

FAB. XVI.

Humanitas et gratior et tutior.

CICADA ET NOCTUA.

HUMANITATI qui se non accommodat,
Plerumque pœnas appetit superbiæ.

¶ Cicada acerbum Noctuæ convicium
Faciebat, solitæ victum in tenebris quærere,
Cavóque ramo capere somnum interdiu. 5

Rogata est, ut taceret; multò validiùs
Clamare cœpit: Rursùs admotâ prece,
Accensa magis est. Noctua, ut vidit sibi
Nullum esse auxilium, et verba contemni sua,
Hâc est adgressa garrulam fallaciâ: 10

*Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare citharâ quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit: si non fastidis, veni;
Unâ bibamus.* Illa, quæ ardebat siti, 15

Simul cognovit vocem laudari suam,
Cupidè advolavit. Noctua, egressa è cavo,
Trepidantem consecrata est, et letho dedit.
Sic, viva quod negârat, tribuit mortua.

Appetit] Alii oppetit, in se deducit. *Runs upon.*

Noctuæ] Pendet ab adjectivo *acerbum*.

Convicium] Clamorem.

Rogata] Cicada.

Admota] Eleganter, velut de machinâ, ad significandum ardorem et studium precantis. *Scheff.*

Accensa] Irritata ad cantandum. *Sch.*

Auxilium] Contra clamorem cicadæ. *Sch.*

Sonare] Heinsius *Sonari*.

Pallas] Noctua enim est avis Palladis.

Fastidis] *If you are not nice.*

Advolavit] Ad noctuam.

Trepidantem] Præ metu fugitantem.

Consecrata] *Overtook.*

FAB. XVII.

Fructu, non foliis, arborem æstima.

ARBORES IN DEORUM TUTELA.

OLIM, quas vellent esse in tutelâ suâ,
 Divi legerunt arbores : Quercus Jovi,
 Et Myrtus Veneri placuit ; Phœbo Laurea,
 Pinus Cybelæ, Populus celsa Herculi.
 Minervâ admirans, quarè steriles sumerent, 5
 Interrogavit. Causam dixit Jupiter ;
 J. *Honorem fructu ne videamur vendere.*
 M. *At, meherculè, narrabit, quod quis voluerit,*
Oliva nobis propter fructum est gratior.
 Tunc sic Deorum genitor, atque hominum sa-
 tor ; 10

O nata, meritò sapiens dicere omnibus :
Nisi utile est quod facimus, stulta est gloria.

¶ Nil agere, quod non prosit, fabella admonet.

In tutelâ suâ] Under Narrabit] Bentleius illa
their Protection. narret.

Steriles] Scil. Arbores ; Dicere] Præsentis est
i. e. barren trees. temporis : you are called.

FAB. XVIII.

Tuis contentus, ne concupiscas aliena.

PAVO AD JUNONEM.

PAVO ad Junonem venit, indignè ferens
 Cantus luscini quòd sibi non tribuerit :

Indignè ferens] Taking it ill.

Illum esse cunctis avibus admirabilem ;
 Se derideri, simul ac vocem miserit. 5
 Tunc, consolandi gratiâ, dixit Dea :
Sed formâ vincis, vincis magnitudine :
Nitor smaragdi collo præfulget tuo ;
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
 P. Quò mí, inquit, mutam speciem, si vincor sono ?
 J. Fatorum arbitrio partes sunt vobis datæ : 10
Tibi forma, vires aquilæ, lusciniò melos,
Augurium corvo, læva cornici omina ;
Omnésque propriis sunt contentæ dotibus.
 ¶ Noli adfectare, quod tibi non est datum ;
 Delusa ne spes ad querelam recidat. 15

Illum] Subaud. dicens illum esse, &c.

Avibus] V. C. Pith. *auribus*, quod præstat.

Miserit] Pro *emiserit*, *has uttered*.

Vincis] *You excel*.

Pictisque] Et pictis plumis, quasi totidem gemmis, consitam caudam expandis.

Quò] i. e. quo fine, *to what purpose*.

Speciem] Sub. *dedisti*.

Fatorum] Litera J. quæ præponitur τῶ *fatorum*, significat, Junonem jam Pavoni respondere.

Adfectare] *Aspire to*.

Ad querelam recidat] *May end in complaint*.

FAB. XIX.

Multi homines nomine, non re.

ÆSOPUS AD GARRULUM.

ÆSOPUS domino solus cùm esset familia,

Familia] Pro *famulus* solus, *the only servant*. Cùm Æsopus solus esset domino tota famulorum

cobors. Dominus non habuit aliam familiam, alios servos, præter Æsopum.

Parare cœnam jussus est maturiùs.
 Ignem ergò quærens, aliquot lustravit domos ;
 Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.
 Tum circumeunti fuerat quòd iter longius, 5
 Effecit brevius : namque rectâ per forum
 Cœpit redire ; et quidam è turbâ garrulus ;
Æsope, medio sole, quid cum lumine ?
Hominem, inquit, quæro ; et abiit festinans do-
mum.

¶ Hoc si molestus ille ad animum retulit, 10
 Sensit profectò, se hominem non visum seni,
 Intempestivè qui occupato adluserit.

Maturiùs] *Solito* subintel. *Sooner than ordinary.*

Tum circumeunti] Ordo verborum hic : *Tum efficit iter brevius, quod iter fuerat paullo longius illi circumeunti.*

Rectâ] Subaud. *vid, by a strait road.*

Quidam] Sub. *dixit.*

Medio sole] Meridie, at noon day.

Quid] scil. *agis.*

Lumine] *A candle.*

Hominem] *A sensible man.*

Abiit] Nimirum *Æsopus.*

Hoc] Dictum *Æsopi.*

Ad animum] Animo considerandum proposuit, examinavit. *Ad animum retulit, reflected upon.*

Visum] Subaud. *esse.*

Adluserit] *Jocari voluerit, ridiculed.*

FAB. XX.

*Miserrimus, qui in vitâ miser, post mortem
miserior.*

ASINUS ET GALLI.

QUI natus est infelix, non vitam modò
Tristem decurrit; verùm post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.

¶ Galli Cybebes circùm quæstûs ducere
Asinum solebant, bajulantem sarcinas. 5

Is quùm labore et plagis esset mortuus,
Detractâ pelle, sibi fecerunt tympana.

Rogati mox à quòdam; *Delicio suo*
Quidnam fecissent? hòc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore: 10

Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

Tristem] Wretched.

Decurrit] Leads, or lives.

Dura fati miseria] His
severe wretched destiny.

Galli] Sacerdotes sic
dicti à Gallo, fluvio Phry-
giæ. *Galli Cybebes, the*
Priests of the Goddess
Cybele, or Cybebe.

Quæstûs] Sub. *gratiâ,*

for the sake of gain.

Detractâ] Stripped off.

Delicio suo] de, sc. *with*
their darling: ironicè.

Securum] Omnium mo-
lestiarum vacuum et im-
munem. *Securum fore,*
should be free from all
trouble.

Mortuo] scil. ipso.

PHÆDRI FABULARUM

LIBER IV.

PROLOGUS.

JOCULARE tibi videtur, et sanè levi,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus :
Sed diligenter intuere has nœnias,
Quantam sub illis utilitatem reperies !
Non semper ea sunt, quæ videntur : decipit 5
Frons prima multos : rara mens intelligit,

Videtur] Sub. *Hoc opus.*
Ludimus] *We trifle away*
the time.

Calamò] *With writing*
of fables.

Majus] *Of more mo-*
ment.

Non semper, &c.] Res
non sunt semper tales,
quales videantur : *Things*
are not always such as they
appear.

Frons] Species, appear-
ance.

Quod interiore condidit cura angulo.
 Hoc ne locutus sine mercede existimer,
 Fabellam adjiciam de mustelâ et muribus.

Condidit cura] Quod ego
 studiosè sub his fabellis
 repôstum volui.

Locutus] *Esse*, sc.
Sine mercede] *To no pur-
 pose.*

FAB. I.

Astutus astu non capitur.

MUSTELA ET MURES.

MUSTELA, quùm, annis et senectâ debilis,
 Mures veloces non valeret assequi,
 Involvit se farinâ, et obscuro loco
 Abjecit negligenter. Mus, escam putans,
 Assiluit, et compressus occubuit neci: 5
 Alter similiter periit, deinde tertius.
 Aliquot secutis, venit et retorridus,
 Qui sæpè laqueos et muscipulam effugerat,

Adsequi] Sequendo ac-
 cedere, vel capere. Angl.
to overtake.

Involvit] Volvit se in
 farinâ, *wrapped herself up
 in meal.*

Abjecit] Scil. *se*, elegan-
 ter, velut rem vilem, et ab
 alio abjectam.

Escam putans] Putans
 mustelam esse escam. *Tak-
 ing her for an eatable.*

Retorridus] Notatur ve-
 tulus, rugosus, quomodò
retorridas plantas, maci-
 lentas, scabras, et in rugas
 contractas. Sunt qui co-
 lorem mustelæ signifi-
 cari volunt, *an old brindle-
 coloured mouse.*

Muscipulam] *Muscipu-
 lum* neutrius generis: sæ-
 piùs *muscipula*, æ, invenit-
 ur.

Procúlque insidias cernens hostis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces. 10

Sic valeas] So may you
 thrive.

Jaces] Aliquis neces con-
 jecit, frustrà.

FAB. II.

Spernit superbus quæ nequit assequi.

VULPES ET UVA.

FAME coacta Vulpis, altâ in vineâ
 Uvam appetebat, summis saliens viribus :
 Quam tangere ut non potuit, discedens ait ;
Nondum matura est, nolo acerbam sumere.

¶ Qui, facere quæ non possunt, verbis ele-
 vant, 5

Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

Vulpis] Antiquè pro
 vulpes.

Discedens] Marching off.

Est] Malo, es.

Acerbam] Immaturam,
 unripe, green.

Sumere] Edere, eat.

Verbis elevant] Speak
 slightly of, disparage, un-
 der-value.

Debebunt] Will be oblig-
 ed.

FAB. III.

Vindictæ cupidus sibi malum arcessit.

EQUUS ET APER.

EQUUS sedare solitus quo fuerat sitim,
 Dum sese Aper volutat, turbavit vadum.
 Hinc orta lis est. Sonipes, iratus fero,
 Auxilium petiit hominis; quem dorso levans,
 Rediit ad hostem: jactis hunc telis eques 5
 Postquàm interfecit, sic locutus traditur:

H. *Lætior tulisse auxilium me precibus tuis;
 Nam prædam cepi, et didici quàm sis utilis.—
 Atque ita coëgit frænos invitum pati.*

Tum mœstus ille: E. *Parvæ vindictam rei 10
 Dum quæro demens, servitutem reperi*

¶ *Hæc iracundos admonebit fabula,
 Impunè potiùs lædi, quàm dedi alteri.*

Quo] Ordo verborum hic est: *Aper, dum se volutat, turbavit vadum, quo equus solitus fuerat sedare sitim: quo, pro in quo.*

Sonipes] Equus.

Dorso levans] Taking the man upon his back.

Precibus tuis] Tibi precanti, at your request.

Prædam] A prey.

Mœstus ille] Sub. Equus ait.

Admonebit] Will serve to admonish.

Impunè] Without seeking revenge.

Potiùs] Ellipt. pro potiùs esse.

FAB. IV.

Homines non numerandi, sed ponderandi.

ÆSOPUS INTERPRES TESTAMENTI.

PLUS esse in uno sæpè, quàm in turbâ, boni,
Narratione posteris tradam brevi.

¶ Quidam decedens tres reliquit filias :
Unam formosam, et oculis venantem viros ;
At alteram lanificam frugi, et rusticam ; 5
Devotam vino tertiam, et turpissimam.
Harum autem matrem fecit hæredem senex
Sub conditione ; totam ut fortunam tribus
Æqualiter distribuât, sed tali modo ;
Ne data possideant aut fruantur ; tum, simul 10
Habere res desierint, quas acceperint,

Plus boni] More sense.

Uno] Homine.

Brevi] Fortè gravi, i. e. seriâ : neque enim hæc narratio brevis. *Gudius.*

Decedens] Vitâ ; moriens lege naturali ; at his de-
cease.

Venantem] Captantem, insidiantem. *Insuaring.*

Alteram] Secundam.

Frugi, et rusticam] Simplicem, artiùmque rudem ;

A careful country housewife.

Devotam vino] Given to much drinking.

Turpissimam] Maximè deformem, greatly deformed.

Fortunam] Bona hæreditaria, fortunas.

Tum] Deindè.

Simul] Simul ac.

Habere desierint] Left off possessing.

Centena matri conferant sestertia.
 Athenas rumor implet : mater sedula
 Jurisperitos consulit : nemo expedit,
 Quo pacto non possideant quod fuerit datum, 15
 Fructúmve capiant ; deinde quæ tulerint nihil,
 Quânam ratione conferant pecuniam.
 Postquàm consumpta est temporis longi mora,
 Nec testamenti potuit sensus colligi,
 Fidem advocavit, jure neglecto, parens. 20
 Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
 Lavationem argenteam, eunuchos glabros ;
 Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
 Boves, jumenta, et instrumentum rusticum :
 Potrici plenam antiquis apothecam cadis, 25
 Domum politam, et delicatos hortulos.
 Sic destinata dare quùm vellet singulis,
 Et adprobaret populus, qui illas noverat,
 Æsopus mediâ subitò in turbâ constitit :
 Æ. O si maneret condito sensus patri, 30

Centena sestertia] Duos mille et quingentos coronatos.

Rumor] De testamento.
Expedit] Explicat, makes out.

Conferant] Singulæ solvant. *Each of them shall pay.*

Neglecto jure] Summo jure non observato ; vel jurisperitis non ultrà adhibitis. *Slighting the Law.*

Seponit] *She designs in*

the distribution.

Mundum] Ornatum.

Glabros] Molles, Smooth, beardless.

Agellos] *The Grounds.*

Pecora] Oves, agnos, capellas : minora significantur. *The small Cattle.*

Boves] *Kine.*

Antiquis] Adeòque majoris pretii.

Apothecam] *The Vault.*

Condito] Sepulto, *Dead and buried.*

Quàm graviter ferret, quòd voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici!

Rogatus deinde, solvit errorem omnium :

Domum et ornamenta cum venustis hortulis

Et vina vetera date lanificæ rusticæ : 35

Vestem, uniones, pedissequos, et cætera

Illi adsignate, vitam quæ luxu trahit.

Agros, vites, et pecora cum pastoribus,

Donate mæchæ. Nulla poterit perpeti,

Ut moribus quid teneat alienum suis. 40

Deformis cultum vendet, ut vinum petat ;

Agros abjiciet mæcha, ut ornatum paret ;

At illa gaudens pecore, et lanæ dedita,

Quâcunque summâ tradet luxuriæ domum :

Sic nulla possidebit, quòd fuerit datum, 45

Et dictam matri conferent pecuniam,

Ex pretio rerum, quas vendiderint singulæ.

¶ Ita, quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis reperit solertia.

Luxu] Ebrietate, com-
potationibus.

Perpeti] Diu pati.

Quid alienum] Quidquam
quod non convenit.

Abjiciet] Vili pretio ven-
det. *Will sell for a trifle.*

Quâ] Vilissimo vel pre-
tuo.

Tradet] Transferet in

alienas manus.

Luxuriæ domum] Domus
ad luxuriam instructa, et
quasi consecrata.

Dictam pecuniam] Tes-
tamento constitutam. *The
money appointed by the
Will.*

Fugit imprudentiam] *Es-
caped the shallowness.*

FAB. V.

Feriant summos fulmina montes.

PUGNA MURIUM ET MUSTELARUM.

QUUM victi Mures Mustelarum exercitu
 (Historia quorum in tabernis pingitur)
 Fugerent, et arctos circum trepidarent cavos;
 Ægrè recepti, tamen evaserunt necem.
 Duces eorum, qui capitibus cornua 5
 Suis ligarant, ut conspicuum in prælio
 Haberent signum, quod sequerentur milites,
 Hæsere in portis, suntque capti ab hostibus:
 Quos immolatos victor avidis dentibus
 Capacis alvi mersit tartareo specu. 10

¶ Quemcumque populum tristis eventus pre-
 mit,
 Periclitatur magnitudo principum;
 Minuta plebes facili præsidio latet.

Trepidarent] Ultrò ci-
 tròque pavidi cursitarent.
Souttled.

Conspicuum signum] A
 visible Sign.

Capacis] Grandius: ut
 augetur risum in humili
 hâc re. *Faber.*

Tartareo specu] In the
 horrible abyss.

Magnitudo principum]
 Magni Principes: the lead-
 ing Men. Sic loqui amat
 Phædrus, ut cuius legenti
 obvium est.

FAB. VI.

*Stultus, nisi quod ipse facit, nil rectum
putat.*

PHÆDRUS IN FABULARUM ÆSOPIARUM
CENSORES.

TU, qui nasutè scripta destringis mea,
Et hoc jocosum legere fastidis genus,
Parvâ libellum sustine patientiâ,
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in cothurnis prodit Æsopus novis. 5
*Utinam nec unquam Pelii nemoris jugo
Pinus bipenni concidisset Thessala!
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricâsset Argus opere Palladio ratem!*

Nasutè] With so much sagacity. *reddo.*

Destringis] Carpis naso adunco, acri censurâ corripis. *Criticise upon.*

Legere fastidis] Disdainest to read.

Sustine] Utcunque odiosum, tamen patienter sustine, nec è manibus abjice. *Ursinus corrigit, parum libellum sustine.*

Placo severitatem] I smooth the roughness. Dum te aerem censorem mitem

Cothurnis novis] Tragico habitu, qualis Æsopo fuit inusitatus. *In a tragical dress, to which Æsop was not accustomed.*

Nec unquam] Nec pro non, ut in nec opinans.

Pelii nemoris] Pelion, a mountain in Thessaly, covered with pine-trees.

Argus] Fabri nomen, qui navem Argô, ope Palladis adjutus, fabricavit.

PHÆDRI FABULARUM

Inhospitalis prima quæ Ponti sinus 10
Patefecit, in perniciem Graiûm et Barbarûm.
Namque et superbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliaæ scelere Medeaæ jacent :
Quæ, sævum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam ; 15
Hic cæde patris Peliadum infecit manus.

Quid tibi videtur ? Hoc quoque insulsum est,
 ais,

Falsóque dictum : longè quia vetustior
Ægea Minos classe perdomuit freta,
Justoque vindicavit exemplo impetum. 20

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
 Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ ?
 Noli molestus esse omninò literis,
 Majorem exhibeant ne tibi molestiam.

¶ Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant,
 Et, ut putentur sapere, cœlum vituperant. 26

Opere] *By the assistance.*
Ipsa enim Pallas arbores
dejecisse fingitur.

Sinus] *Bay.*
Graiûm et Barbarûm] *Graiorum et Barbarorum.*
Barbaros autem vocat, qui
in Colchide habitabant.

Æetæ] *Patris Medeaæ.*
Sævum ingenium] *Her*
bloody mind.

Involvens] *Covering.*

Illic] *In Colchide.*

Hic] *In Thessaliâ.*

Peliadum] *Filiarum Pe-*
liæ.

Insulsum] *Sine sale. In-*
sipid.

Exemplo] *Supplicio.*

Impetum] *Piratarum in-*
cursum. The attack of
Pirates.

FAB. VII.

Maledico maledicens pejus audiet.

VIPERA ET LIMA.

MORDACIOREM qui improbo dente appetit,
Hoc argumento se describi sentiat.

¶ In officinam fabri venit Vipera :
Hæc, quùm tentaret, si qua res esset cibi,
Limam mœmordit. Illa contrà contumax, 5
Quid me, inquit, *stulta*, dente captas lædere,
Omne adsuevi ferrum quæ corrodere ?

Improbo] Audaci, item-
que impari, *Presumptuous*.
Describi] Rectè in præ-
senti ponitur; jam enim
res agitur.

Tentaret] Peculiaris vox,
accuratè quærentibus.
Stulta] Casu vocativo.
Omne] Genus ferri: fer-
rum durissimum.

FAB. VIII.

Improbi, ne pereant, perdunt.

VULPES ET HIRCUS.

HOMO in periculum simul ac venit callidus,
Reperire effugium alterius quærit malo.

¶ Quùm decidisset Vulpes in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit Hircus sitiens in eundem locum; 5
Simul rogavit, *Esset an dulcis liquor*,

Alterius malo] *At an-*
other's cost.

Altiore] *Higher than or-*
dinary.

*Et copiosus ? Illa fraudem moliens ;
Descēde, amice : tanta bonitas est aquæ,
Voluptas ut satiari non possit mea.*

Immisit se barbatus : tum Vulpecula 10
Evasit puteo, nixa celsis cornibus ;
Hircúmque clauso liquit hærentem vado.

Illa] Vulpes. Subaudi-
tur *respondet.*

Moliens] *Hatching.*

Immisit] In puteum.

Nixa] Enixa hirci cor-
nibus, *taking rise from.*

Vado] In aquâ clausâ,
at the bottom of the Well.

FAB. IX.

*Suus cuique attributus est error, sed non
videmus id manticæ quod in tergo est.*

PERÆ.

PRRAS imposuit Jupiter nobis duas :
Propriis repletam vitiis post tergum dedit,
Alienis ante pectus suspendit gravem.

¶ Hæc re videre nostra mala non possumus ;
Alii simul delinquant, censores sumus.

Repletam] Notatu hoc
dignum est, Phædrum di-
cere, peram *propriis* qui-
dem *vitiis repletam* esse,
non tamen *gravem* ; peram
autem alteram, *alienis gra-*
vem, quamvis repletam non
esse, tacitus innuat.

Hæc re] Hæc de causâ :
For this reason.

Videre, &c.] Nostra fla-
gitia ne videre quidem pos-
sumus ; simul ac alii delin-
quant, severi reprehenso-
res sumus.

Delinquant] *Make a slip.*

FAB. X.

*Antecedentem scelestum non deserit pede
pœna claudo.*

FUR ARAM COMPILANS.

LUCERNAM fur accendit ex arâ Jovis,
Ipsúmque compilavit ad lumen suum :
Onustus qui sacrilegio quùm discederet,
Repentè vocem sancta misit religio :
Malorum quamvis ista fuerint munera, 5
Mihiquè invisâ, ut non offendar subripi ;
Tamen, sceleste, spiritu culpam lues,
Olim quùm adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos, 10
Veto esse tale luminis commercium.
Ita hodiè nec lucernam de flammâ Deûm,

Ipsúmque] Sc. Jovem.

Suum] Proprium : quia ex arâ Jovis accensum erat.

Sanctu religio] i. e. Sacra imago. *The sacred Image. Remorse of conscience.*

Vocem misit] Uttered these words.

Ista] Quæ tu nimirum furto abstulisti.

Mihique] Et mihi adeò invisâ, ut non offendar ea subripi jam à te, &c.

Adscriptus] Definitus, destinatus. *Appointed by the Fates.*

Facinori] i. e. facinorosis, *scelestis* lucem præbeat. *The wicked.*

Pietas] i. e. Pii homines deos colunt jure colendos. *The devout.*

Luminis] Sacri nempè et communis, seu profani.

Commercium] Intercourse.

Nec de lucernâ fas est accendi sacrum.

¶ Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius, quàm qui reperit. 15

Significat primò, sæpè quos ipse alueris,
Tibi inveniri maximè contrarios.

Secundò ostendit, scelera non irâ Deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore.

Novissimè interdicit, ne cum malefico 20
Usum bonus consociet ullius rei.

Sacrum] For the sacred
Fires. fabulæ auctor est Phædrus.

Explicabit] Insolenter
satis: at *Schefferus* sic ex-
ponit; "Non necesse erit
ut explicet alius, quia ipse,
qui excogitavi, nunc fac-
turus sum." *Tibi maximè contrarios]*
Your, greatest Enemies.

Dicto] Constituto. *Ap-
pointed.*

*Interdicit, ne bonus con-
societ]* i. e. Jubet, bonum
non consociare, &c.

Reperit] Hujus itaque

FAB. XI.

Opes irritamenta malorum.

HERCULES ET PLUTUS.

OPES invisæ meritò sunt forti viro,
Quia dives arca veram laudem intercipit.

¶ Cœlo receptus propter virtutem Hercules,
Quùm gratulantes persalutâsset Deos,

Dives arca] A rich coffer.

Cœlo] In cœlum. Cœlo
receptus; *Being taken up
into Heaven.*

Gratulantes] Bidding him
welcome.

Persalutâsset] Ordine om-
nes salutâsset, *had saluted.*

Veniente Pluto, qui Fortunæ est filius, 5
 Avertit oculos. Causam ut quæsit Pater;
 H. Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
 Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

Pluto] Ablativus pendet
 ex verbo *avertit*.

Pater] Jupiter: Hercul
 is nempe Pater.

Malis] Qui tam mali
 sunt.

Objecto lucro] *By the
 temptation of gain.*

FAB. XII.

Sinceritas laudanda.

LEO REGNANS.

UTILIUS homini nihil est, quàm rectè loqui.
 Probanda cunctis est quidem sententia,
 Sed ad perniciem solet agi sinceritas.

¶ Quùm se ferarum regem fecisset Leo,
 Et æquitatis vellet famam consequi, 5
 A pristinâ deflexit consuetudine;
 Atque inter illas tenui contentus cibo,
 Sancta incorruptâ jura reddebat fide.

Reliqui versus hujusce fabulæ periére.

Æquitatis] *Of adminis- turned*
tering Justice impartially. *Sancta*] *Pro sancita inter*
Deflexit] *Departed,* *illas. Established.*

FAB. XIII. *Omittitur.*

FAB. XIV.

Pares, non habitus, sed virtus facit.

CAPELLÆ ET HIRCI.

BARBAM capellæ quùm impetrâssent ab Jove,
Hirci mœrentes indignari cœperunt,
Quòd dignitatem fœminæ æquâssent suam :

Sinite, inquit, illas gloriâ vanâ frui,

Et usurpare vestri ornatum muneris,

5

Pares dum non sint vestræ fortitudinis.

¶ Hoc argumentum monet, ut sustineas tibi
Habitum esse similes, qui sunt virtute impares.

Dignitatem] Barbæ dignitatem æqualem haberent: *Dignitatem suam, their right to wear a beard.*

Vanû] *Insignificant:* Barba enim in se nihil dignitatis habet: conjuncta autem cum egregiis animi dotibus, reverentiam conciliat.

Ornatum muneris vestri] Uni ornamento, quod vestro muneri proprium est. Anglicè, *Badge of your Office.*

Esse] Eos esse.

Habitum] *In outward appearance.*

Impares] Inferiores. Impares virtute, *No match in true worth.*

FAB. XV.

In secundis time; in adversis spera.

GUBERNATOR ET NAUTÆ.

QUUM de fortunis quidam quereretur suis,
Æsopus finxit consolandi gratiã.

¶ Vexata sævis navis tempestatibus,
Inter vectorum lacrymas, et mortis metum,
Faciem ad serenam subito ut mutatur dies, 5
Ferri secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiãque nautas hilaritate extollere.
Factus periclo tum gubernator sophus;
G. *Parcè gaudere oportet, et sensim queri;*
Totam quia vitam miscet dolor et gaudium. 10

De fortunis suis] Of his
hard condition.

Finxit] Invented this
story.

Vexata] Driven up and
down.

Ferri cœpit] She began
to sail.

Gubernator] Rector na-
vis. *The Pilot.*

Periclo] Experienciã.

Sophus] Wise: subaudi-
tur inquit.

Sensim] Moderatè.

Miscet] Checkers.

FAB. XVI.

Nimia verecundia inverecundum facit.

CANUM LEGATI AD JOVEM.

CANES legatos olim misère ad Jovem,
Melioris vitæ tempus oratum suæ,

Tempus] Corrigit Ursi- *oratum. A more easy way*
nus; meliora vitæ tempora; *of spending their life.*

Ut sese eriperent hominum contumeliis,
 Furfuribus sibi conspersum quòd panem darent,
 Fimòque turpi maximam explerent famem. 5
 Profecti sunt legati non celeri pede,
 Dum naribus scrutantur escam in stercore.
 Citati non respondent: vix tandem invenit
 Eos Mercurius, et turbatos attrahit.
 Tum verò vultum magni ut viderunt Jovis, 10
 Totam timentes concacârunt regiam:
 Propulsi verò fustibus, vadunt foras.
 Vetat dimitti magnus illos Jupiter.
 Mirati sibi legatos non revertier,
 Turpe æstimantes aliquid commissum à suis, 15
 Post aliquod tempus alios adscribi jubent.
 Rumor legatos superiores prodidit.
 Timentes rursùs aliquid ne simile accidat,
 Odore canibus anum, sed multo replent:
 Mandata dant; legati mittuntur; statim 20
 Adeunt: rogantes aditum, continuò impetrant.
 Consedit genitor tum Deorum maximus,
 Quassatque fulmen: tremere cœpère omnia.
 Canes (confusi subitò quòd fuerat fragor)
 Repentè odorem mixtum cum merdis cacant. 25

Eriperent] MS. *abripe-*
ret. Gadius eriperet.

Furfuribus conspersum] Sordidum, acerosum.

Citati] *Called up*; voce Præcon: s Mercurii.

Turbatos] Territos, quia negligentes fuissent officii, et citanti Mercurio non respondissent.

Mirati] Canes, qui domi manserant.

Adscribi] Alios canes adjungi prioribus, atque legatos suffici.

Odore] *Spices.*

Adeunt] Scheff. *abeunt, hasten away.*

Omnes] Dii qui aderant.

Reclamant omnes vindicandam injuriam.

Sic est locutus ante pœnam Jupiter :

Non est legatos regis non dimittere ;

Nec est difficile pœnas culpæ imponere.

Non veto dimitti, verùm cruciari fame, 30

Ne ventrem continere non possint suum.

Sed hoc feretis pro judicio præmium.

Illi autem, qui miserunt vos tam futiles,

Nunquam carebunt hominis contumeliâ.

Ita nunc legatos expectant et posteri ; 35

Novumque venire qui videt, eulum olfacit.

Sed hoc feretis] Quid tinentes : *futilis* enim est,
hoc sibi velit, non capio. qui commissa non retinet.

Futiles] Ventris incon-

FAB. XVII.

Malo qui benefacit, pejorem facit.

HOMO ET COLUBRA.

QUI fert malis auxilium, post tempus dolet.

¶ Gelu rigentem quidam Colubram sustulit,
Sinuque fovit, contra se ipse misericors.

Namque ut refecta est, necuit hominem protinùs,

Hanc alia quàm rogaret causam facinoris, 5

Respondit ; *Ne quis discat prodesse improbis.*

Post tempus] *After a* ganter de paulò ante penè
while. mortuâ

Colubram] Vulgò *Colu-*
brum vocamus.

Respondit] Illa colubra,
quæ malum dederat.

Contra se] In suam per-
niciem.

Ne quis discat] *That no*
one may learn.

Ut] Ubi primùm.

Prodesse improbis] *To do*
kindness to the wicked.

Refecta] Recreata, ele-

FAB. XVIII.

Avarus auri custos, non dominus.

VULPES ET DRACO.

VULPES cubile fodiens, dum terram eruit,
 Agitque plures altiùs cuniculos,
 Pervenit ad Draconis speluncam ultimam,
 Custodiebat qui thesauros abditos.
 Hunc simul adspexit ; V. Oro ut imprudentiæ 5
 Des primùm veniam ; deindè, si pulchrè vides,
 Quàm non conveniens aurum sit vitæ meæ,
 Respondeas clementer ; quem fructum capis
 Hoc ex labore, quodve tantum est præmium,
 Ut careas somno, et ævum in tenebris exigas ? 10
 D. Nullum, inquit ille : verùm hoc à summo mihi
 Jove attributum est. V. Ergo nec sumis tibi,
 Nec ulli donas quicquam ? D. Sic fatis placet.
 V. Nolo irascaris, liberè si dixero :
 Diis est iratis natus, qui est similis tibi. 15

Altiùs] Deeper than ordinary.

Cuniculos] Burrows.

Imprudentiæ] Mihi imprudenti : neque enim sciens huc veni, aut te molestandi animo.

Deindè si] Secundò, si quidem rectè vides. *If you fully understand.*

Respondeas] Subaud. oro ut.

Tantum est] Is so considerable.

Ut careas] For you to be without.

Ævum exigas] Spend your life.

Nullum] Subaudi, est præmium, I have no reward.

Diis iratis natus] Infelix, born under an ill planet.

Abiturus illuc, quò priores abierunt,
 Quid mente cæcâ miserum torques spiritum?
 Tibi dico, avare, gaudium hæredis tui,
 Qui thure superos, ipsum te fraudas cibo;
 Qui tristis audis musicum citharæ sonum; 20
 Quem tibiaram macerat jucunditas;
 Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt;
 Qui, dum quadrantes aggeras patrimonio,
 Cælum fatigas sordido perjurio;
 Qui circumcidis omnem impensam funeris, 25
 Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

Abiturus] Since you must go.

Priores] Your ancestors.

Mente] Consilio, understanding.

Spiritum] Vitam.

Jucunditas] Jucundus tibiaram sonus macilentum reddit.

Cui] A quo.

Quadrantes] Minimos nummos, the most trifling sum.

Aggeras] Modi subjunc-

tivi, ab *aggero* tertiæ conjugationis. *Dum aggeras*, so you can but add.

Sordido] Ob rem vilem sordidamque; solent enim avari etiam minimæ pecuniolæ causâ pejerare.

Circumcidis] *Pare off*, retrench.

Libitina] Funerum Præses; the Undertaker.

De tuo] Re tuâ, bonis tuis. *Out of your estate.*

FAB. XIX.

Inventa perficere non inglorium.

PHÆDRUS DE FABULIS.

QUID judicare cogitet livor modò,
 Licèt dissimulet, pulchrè tamen intelligo.
 Quidquid putabit esse dignum memoriæ,

Æsopi dicet : si quid minùs adriserit,
 A me contendet fictum quovis pignore. 5
 Quem volo refelli jam nunc responso meo :
 Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus ;
 Invenit ille, nostra perfecit manus.
 Sed exequamur cœptum propositi ordinem.

Æsopi] *Id esse Æsopi, He'll lay any wager.*
that is Æsop's. Ille] *Æsopus, ita in*
Adriserit] *Placuerit, shall Prologo lib.1.*
please. Exequamur] *Let us go*
Contendet quovis pignore] *on with.*

FAB. XX.

Veras divitias eripit nemo.

NAUFRAGIUM SIMONIDIS.

Homo doctus in se semper divitias habet.
 ¶ Simonides, qui scripsit egregium melos,
 Quò paupertatem sustineret faciliùs,
 Circumire cœpit urbes Asiæ nobiles,
 Mercede acceptâ laudem victorum canens. 5
 Hòc genere quæstûs postquàm locuples factus
 est,

Venire in patriam voluit cursu pelagio :
 (Erat autem, ut aiunt, natus in Ceâ insulâ.)

Melos] *Carmina lyrica : ire circum urbes, he took a*
egregium melos. extraor- circuit round the cities.
dinary Lyric verse. Victorum] *Qui in ludis*

Quò paupertatem, &c.] *Olympicis vicerant.*
Ut se in paupertate ale- Pelagio cursu] *Navigan-*
ret. That he might with do, by a voyage : ut cursus
more ease support his po- æquoreus passim apud
verty. Poëtas.

Urbes circumire] *Cœpit*

Ascendit navem ; quam tempestas horrida
 Simul et vetustas medio dissolvit mari : 10
 Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
 Subsidiū vitæ. Quidam curiosior ;
Simonide, tu ex opibus nihil sumis tuis ?
 S. *Mecum, inquit, mea sunt cuncta.* Tunc pauci
 enatant ;
 Quia plures onere degravati perierant. 15
 Prædones adsunt, rapiunt quod quisque extulit,
 Nudos relinquunt. Fortè Clazomenæ propè
 Antiqua fuit urbs, quam petierunt naufragi.
 Hic literarum quidam studio deditus,
 Simonidis qui sæpè versus legerat, 20
 Eratque absentis admirator maximus,
 Sermone ab ipso cognitum cupidissimè
 Ad se recepit : Veste, nummis, familiā
 Hominem exornavit. Cæteri tabulam suam
 Portant, rogantes victum. Quos casu obvius 25
 Simonides ut vidit ; *Dixi, inquit, mea*
Mecum esse cuncta : vos quod rapuistis, perit.

Vetustas] *Cruziness.*

Dissolvit] Propriè de navibus, quia et *contexi* dicuntur.

Zonas] *Purses.*

Curiosior] *Alis curiosior, mōre inquisitive than the rest.*

Enatant] *E mari natant, swim to shore.*

Extulit] *E nave secum tulit, saved from the ship.*

Clazomenæ] *Urbs Ioniæ maritima.*

Cognitum] *Cupidissimè*

recepit ad domum suam Simonidem, cognitum ab ipso sermone solo.

Familiā] *Servis, with a retinue.*

Tabulam] *Naufragii imaginem in tabulâ depictam.*

Portant] *MS. poriant, undè portant rectè; non porgunt, ut Salmasius.*

Rapuistis] *E navi festinanter collegistis, what you hastily collected.*

FAB. XXI.

Magna ne jactes, sed præstes.

MONS PARTURIENS.

MONS parturibat, gemitus immanes ciens :
 Eratque in terris maxima expectatio :
 At ille murem peperit. ¶ Hoc scriptum est tibi,
 Qui, magna quàm minaris, extricas nihil.

Parturibat] Dolore partûs laborabat.

Ciens] Fetching.

Immanes] Ingentes admodùm, exceeding deep.

Minaris magna] Jactan-

ter polliceris te facturum, you boast what great matters you would do.

Extricas nihil] Absolvís, expedis, bring nothing to effect.

FAB. XXII.

Vera gloria fictam obscurat.

FORMICA ET MUSCA.

FORMICA et Musca contendebant acriter,
 Quæ pluris esset. Musca sic cœpit prior :
 M. Conferre nostris tu potes te laudibus ?
 Ubi immolatur, exta prægusto Deúm ;

Quæ pluris] Utra pluris pretii esset. Which of the two was of more worth.

Cœpit] Loqui, began to speak.

Tu potes] Tune audes comparare te meis meritis et honoribus? Dare you.

Immolatur] Subaudi, ab hominibus: men offer a sacrifice.

Prægusto] Prior gusto, I taste first.

Extâ Deúm] The entrails offered to the Gods.

Moror inter aras, templa perlustro omnia : 5
In capite regis sedeo, quùm visum est mihi ;
Et matronarum casta delibo oscula :
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica ?
F. Est gloriosus sanè convictus Deúm ; 10
Sed illi qui invitatur, non qui invisus est.
Reges commemoras, et matronarum oscula ;
Ego granum in hyemem quùm studiosè congero,
Te circa murum video pasci stercore.
Aras frequentas ; nempè abigeris, quò venis. 15
Nihil laboras ; ideò, quùm opus est, nil habes.
Superba jactas, tegere quod debet pudor.
Æstate me lacessis ; quùm bruma est, siles.
Mori contractam, quùm te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus. 20
Satìs profectò retudi superbiam.

¶ Fabella talis hominum discernit notas
 Eorum, qui se falsis ornant laudibus,
 Et quorum virtus exhibet solidum decus.

Oscula] Lips.
Convictus Deúm] The
faring with the Gods.

Commemoras] You talk of.

Quò] In quemcunque lo-
cum. To what place soever.

Superba jactas] You
proudly boast of.

Contractam] Shriveled

up. Heins. contactam.

Copiosa] Omni rerum
copiâ instructa, plentifully
furnished.

Talis] Hæc, vel hujus-
modi fabella.

Discernit notas] Distin-
guishes the characters.

FAB. XXIII.

Deum colenti stat sua merces.

SIMONIDES a DIIS SERVATUS.

QUANTUM valerent inter homines literæ,
 Dixi superiùs: quantus nunc illis honos
 A superis sit tributus, tradam memoriæ.
 Simonides, idem ille de quo retuli,
 Victoris laudem euidam Pyctæ ut scriberet, 5
 Certo condixit pretio, secretum petiit.
 Exigua quùm frænaret materia impetum,
 Usus poëtæ, ut moris est, licentiâ;
 Atque interposuit gemina Ledæ sidera;
 Auctoritatem similis referens gloriæ. 10
 Opus adprobavit: sed mercedis tertiam
 Accepit partem. Quùm reliquam posceret;

Quantum] Subauditur valorem, vel pretium.

Literæ valerent] Learning was found.

Illis] Literis.

Memoriæ] Posteritati.

Condixit] Agreed: Bentleius, conductus, et meliùs.

Secretum] Locum, sc.

Impetum] Ingenii poëtici, the force of his genius.

Moris] Pendet ab ingenium subintellecto. *Licentiâ moris,* licentiâ more concessâ. Bentl.

Gemina sidera] Ledæ matos, Castorem et Pollu-

cem, geminos, qui in sidera conversi erant. *The Twin Stars.*

Auctoritatem referens] A priscis ducens repetensq: exemplum insigne similis gloriæ, applying an instance.

Adprobavit] Simonides Pyctæ approbavit; opus ita absolutum dedit ut ipse Pycta non haberet, quod improbarêt.

Reliquam] Gadius. Heinsius *reliquum*; quod præstat, nisi mercedem intelligi mavis.

Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duce.
 Verùm, ut ne iratè dimissum te sentiam,
 Ad cœnam mihi promitte : cognatos volo 15
 Hodie invitare, quorum es in numero mihi.
 Fraudatus quamvis, et dolens injuriâ,
 Ne malè dimissus gratiam corrumpere,
 Promisit : Rediit horâ dictâ ; recubuit.
 Splendebat hilare poculis convivium ; 20
 Magno apparatu læta resonabat domus ;
 Repentè duo quùm juvenes, sparsi pulvere,
 Sudore multo diffuentes corpora,
 Humanam supra formam, cuidam servulo
 Mandant, ut ad se provocet Simonidem, 25
 Illius interesse ne faciat moram.
 Homo perturbatus excitat Simonidem.
 Unum promôrat vix pedem triclinio,
 Ruina cameræ subitò oppressit cæteros ;
 Nec ulli juvenes sunt reperti ad januam. 30
 Ut est vulgatus ordo narratæ rei,

Quorum es, &c.] Ego
 te inter cognatos meos
 numero : amongst whom I
 reckon you.

Dictû] Constitutâ. Ho-
 râ dictâ, at the time ap-
 pointed.

Recubuit] Laid down on a
 couch. Convivæ enim ac-
 cumbentes cibum capie-
 bant.

Splendebat] Erat magni-

ficum et splendidum, shone.
 Hilare poculis] Factam
 hilare et lætum liberiori
 potatione.

Resonabat] Rang again.
 Homo] The servant.

Excitat] Evocat : cito
 enim idem est quod voco :
 calls out.

Promôrat] Promoverat.
 Had advanced.

Omnes sciêrunt Numinum præsentiam
Vati dedisse vitam, mercedis loco.

Sciêrunt] *Were satisfied.* · diatam providentiam.
Numinum præsentiam] · *Vati]* *To the Poet Simo-*
Castoris et Pollucis imme- · nides.

FAB. XXIV.

Multàm auxiliatur qui citò.

EPILOGUS AD EUTYCHUM.

SUPERSUNT mihi quæ scribam, sed parco sciens ;
Primùm esse ne tibi videar molestior,
Distringit quem multarum rerum varietas :
Dein si quis eadem fortè conari velit,
Habere ut possit aliquid operis residui. 5
Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut desit, non fabro labor.
Brevitati nostræ præmium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus : Exhibe vocis fidem,
Nam vita morti propior est quotidie ; 10
Et hoc minus perveniet ad me muneris,
Quò plus consumet temporis dilatio.
Si citò rem perages, usus fiet longior.
Fruar diutiùs, si celeriùs cepero.
Languentis ævi dum sunt aliquæ reliquæ, 15
Auxilio locus est : olim senio debilem

Supersunt] Adhuc sunt
mihi ea, quæ possim scri-
bere, sed certo consilio
parco scribere.

Parco sciens] *I forbear*
with design.

Residui] Relicti, left.
Cepero] Accepero: al.
cæpero, i. e. *frui cæpero.*
Olim] Hereafter.
Debilem] Me, Phædrum.

Frustrà adjuvare bonitas nitetur tua,
 Quùm jam desierit esse beneficium utile,
 Et mors vicina flagitabit debitum.
 Stultum admovere tibi preces sexcenties, 20
 Proclivis ultrò quùm sit misericordia.
 Sæpè impetravit veniam confessus reus :
 Quantò innocenti justius debet dari ?
 Tuæ priùs sunt partes ; fuerant illorum priùs ;
 Dein simili gyro venient aliorum vices. 25
 Decerne quod religio, quod patitur fides,
 Et gratulari me fac iudicio tuo.
 Excedit animus, quem proposuit, terminum ;
 Sed difficulter continetur spiritus,
 Integritatis qui sinceræ conscius, 30
 A noxiorum premitur insolentiis.
 Qui sint, requires ? Apparebunt tempore.
 Ego, quondàm legi quam puer sententiam,

Debitum] Morti enim omnes debemur.

Stultum] Subaud. est.

Religio] Your obligation to your oath.

Fides] Your honor.

Excedit] Cedit extra terminum, quem sibi proposuit.

Continetur] Cohibetur, et intra fines debitos tenetur.

Spiritus] Animus.

Sinceræ] Mallem scri-

bere sincerè, ac ad conscius referre, ut sit verè conscius.

Noxiorum] Mischievous.

Qui sint] Isti noxii.

Ego quam] Ordo verborum: *Ego, dum sanitas mentis mihi constabit, i. e. dum sanâ mente ero præditus, whilst I am in my senses, pulchrè meminero sententiam illam, quam puer quondam legi apud Ennium.*

Palàm mutire plebeio periculum est,
 Dum sanitas constabit, pulchrè meminero. 35

Palàm mutire] To complain openly of wrongs.
 Apertè murmurare in homine plebeio et paupere, piaculum est: Res est quæ

expiatione egeat.

Periculum] Meliùs piaculum: istud enim est Ennianum.



PHÆDRI FABULARUM

LIBER V.

PROLOGUS AD PARTICULONEM.

QUUM destinâssem terminum operi statuere,
In hoc, ut aliis esset materiæ satis,
Consilium tacito corde damnavi *meum*.
Nam si quis talis etiam est tituli *artifex*,
Quo pacto divinabit quidnam omiserim, 5

Destinâssem] In Epilogo proximè præmisso: *Supersunt mihi quæ scribam, sed parco sciens.*

Statuere] Reposui hanc vocem pro *habere*, ex conjecturâ Gronovii, Gudii, &c. quia alioqui metrum claudicat.

In hoc] In hunc finem, eâ de causâ, *for this reason.*

Tacito corde] *In my private thoughts.*

Meum] MS codex in hoc et sequenti versu mutilus erat. Rittershusius restituit *meum*, sensu suadente.

Ut illud ipsum cupiat famæ tradere ;
 Sua cuique quàm sit animi cogitatio,
 Colorque proprius ? Ergo non levitas mihi,
 Sed certa ratio causam scribendi dedit.
 Quarè, Particulo, quoniam caperis fabulis, 10
 (Quas Æsopeas, non Æsopi nomino ;
 Quasi paucas ille ostendit, ego plures dissero,
 Usus vetusto genere, sed rebus novis.)
 Quartum libellum, dum vacârit, perleges,
 Hunc obtrectare si volet malignitas, 15
 Imitari dum non possit, obtrectet licet.
 Mihi parta laus est, quòd tu, quòd similes tui,
 Vestras in chartas verba transfertis mea,
 Dignumque longâ judicatis memoriâ :
 Inlitteratum plausum nec desidero. 20

Levitas] Animi inconstantia.

Caperis] Delectaris, you are delighted.

Æsopeas] *Æsopias* malè: tertia enim τῶ *Æsopias* syllaba brevis est, alterius autem longa; ab Αἰσώπειος, Æsopeus, ut à πλατεία, platéa; et sexcenta hujusmodi.

Ostendit] Invenit, Invented.

Genere] Scribendi: Æsopi genus, suprâ.

Quartum] Quem modò finierat, That he had just finished.

Malignitas] Pro maligni: sic livor; si livor obtrectare curam, &c. The envious.

FAB. I.

Nihil ad honorem famâ ingenii aptius.

DEMETRIUS ET MENANDER.

Æsopi nomen sicubi interposuero,
 Cui reddidi jampridem, quidquid debui,
 Auctoritatis esse scito gratiâ ;
 Ut quidam artifices nostro faciunt sæculo,
 Qui pretium operibus majus inveniunt, novo 5
 Si marmori adscripserunt Praxitelen suo,
 Myronem argento : plus vetustis nam favet
 Invidia mordax, quàm bonis præsentibus.
 Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

¶ Demetrius, qui dictus est Phalereus, 10

Sicubi interposuero] Si
 quando inseruero, et no-
 mine Æsopi usus fuero :
wherever I shall insert.

Quidquid] Fabularum.

Esse] Pendet ab *id* sub-
 audito.

Operibus pretium] Pic-
 turis et statuis. *A value*
set upon their pieces.

Inveniunt] Parant.

Novo] Melius, *novis.*

Marmori] Marmoreis
 statuis.

Praxitelen] Praxitelis
 nomen : statuarius autem
 ille celebris.

Suo marmori] *To a statue*

made by themselves.

Myronem] Myronis no-
 men : Artifex celebris.

Argento] Statuis argen-
 teis. *Upon their silver*
statues.

Vetustis] Vetustis, quan-
 tumvis malis. *Ancient works*
though bad.

Bonis præsentibus] Præ-
 sentibus utcumque bonis.

Talis exempli] Qualis,
 quæso? Neque enim mihi
 omninò videtur fabula cum
 præmio convenire : plures
 credo versus excidisse,
 quàm vulgò putatur.

Athenas occupavit imperio improbo.
 Ut mos est vulgi, passim et certatim ruunt ;
Feliciter, subclamant : ipsi principes
 Ullam osculantur, quâ sunt oppressi, manum,
 Tacitè gementes tristem fortunæ vicem. 15
 Quin etiam resides et sequentes otium,
 Ne defuisse noceat, reptant ultimi ;
 In queis Menander, nobilis comœdiis,
 (Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,
 Et admiratus fuerat ingenium viri) 20
 Unguento delibutus, vestitu affluens,
 Veniebat gressu delicato et languido.
 Hunc ubi tyrannus vidit extremo agmine ;
Effœminatus quid hic in conspectu meo
Audet venire ? Responderunt proximi ; 25

Imperio improbo] *By* usurpation.

Feliciter] Solennis benè precantium formula.

Vicem] Mutationem.

Resides] Nil publicè agentes. *Men of Retirement*. Philosophos, et literis deditos intelligit.

Defuisse] Nempè expectato officio : ponitur autem vice nominativi ante *noceat* : ne *abfuisse noceat* sibi.

Reptant ultimi] *Come creeping in the rear*.

In queis] Inter quos, *Amongst whom*.

Ipsum] Hominem : vul-

tum hominis.

Delibutus] Madidus, persusus.

Affluens] Habens vestem ad pedes fluentem et demissam : nonnulli volunt *effluens, defluens ; alii fluens*.

Delicato] Quasi molles incedunt.

Effœminatus] Vetus lectio fuit, *Quisnam cinædus ille*.

In conspectu] In conspectum.

Proximi] *Those next the throne*.

Hic est Menander scriptor. Mutatus statim,
[Compellat hominem blandè, dextramque arripit.]

Compellat, &c.] Hic versus non est Phædri.

FAB. II.

Ventosa lingua; pedes fugaces.

VIATORES ET LATRO.

[Viam expediti pariter earpebant duo :
Imbellis alter, alter at promptus manu.
Ocurrat illis Latro, et intentans necem,
Aurum poposcit : Audax confestim irruens,
Vim vi repellit, ac ferro incautum occupat ;] 5
Et vindicavit sese forti dexterâ.
Latrone occiso, timidus adcurrit comes,
Stringitque gladium : dein rejectâ penulâ,
Cedo, inquit, illum : jam curabo sentiat
Quos adtentârit. Tunc qui depugnaverat : 10
Vellem istis verbis saltem adjuvisses modò ;
Constantior fuisset, vera existimans :

Viam] Quinque versus sequentes non sunt Phædri.

Penulâ] Veste peculiari eorum, qui faciebant iter.

Rejectâ] Ne brachia impeditentur.

Cedo illum] Da illum mihi, *give him to me.*

Adtentârit] Aggressus sit.

Depugnaverat] Ex pugna victor fuerat.

Verbis saltem] Si non re, saltem verbis.

Constantior] Animosior, *more bold.*

*Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem,
Ut possis alios ignorantes fallere.*

*Ego, qui sum expertus quantis fugias viribus, 15
Scio, quòd virtuti non sit credendum tuæ.*

¶ Illi adsignari debet hæc narratio,
Qui re secundâ fortis est, dubiâ fugax.

Ignorantes] Te et tuam hinc Gadius conjicit, *Scio*
timiditatem. *Ignorant of* quid virtuti nunc sit, &c.
you and your cowardice. Gronov. *Scio quàm.* Vide

Viribus] Lepidè dictum: omninò Perizonium ad
acrem fortemque esse fu- Sanctii Minervam.

gitorem innuit. *Fugax]* Subaud. est.

Scio quòd] MS. quid:

FAB. III.

Sponte peccanti nullus est veniæ locus.

CALVUS ET MUSCA.

CALVI momordit Musca nudatum caput ;
Quam opprimere captans, alapam sibi duxit
gravem.

Tunc illa irridens ; *Punctum volucris parvulæ
Voluisti morte ulcisci : quid facies tibi,*

Nudatum] Tegmine nu-
datum.

Captans] Studens, aim-
ing, offering.

Duxit sibi] Dedit, im-
pegit, gave himself.

Irridens] Subaud. eum
dixit.

Punctum] Quartæ de-
clinationis, punctus, -ûs :
punctionem.

Volucris] Fly.

Injuriae quæ addideris contumeliam? 5
 Respondit; C. *Mecum facile redeo in gratiam,*
Quia non fuisse mentem lædendi scio:
Sed te. contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare vel majore incommodo. 10

¶ Hoc argumentum veniam magè dari docet,
 Qui casu peccat, quàm qui consilio est nocens:
 Illum esse quâvis pœnâ dignum judico.

Qui addideris] Salmasi-
 us refinxit, MS. *quia dede-*
ris: patior facile injuriam,
si est vacua à contumeliâ.
Gud.

Fuisse] *Mihi non men-*
tem lædendi meipsum. I
had no intention of hurting
myself.

Improbum] *Saucy.*

Optem] Velim necare,
 etiam majus paterer ma-
 lum, quàm quod nuper
 ex alapâ sensi.

Dari] *Subaud. illi.*

Nocens consilio] *Does an*
injury designedly.

FAB. IV.

Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

HOMO ET ASINUS.

QUIDAM immolâsset verrem quùm sancto Her-
 culi,
 Cui pro salute votum debebat suâ,

Verrem] Apèr Herculi,
 in memoriam apri Eri-
 manthei ab eo occisi; im-
 molari solebat.

Sancto] Deo.

Votum] Illum *votum:*
 participium enim est, et
 cum *verrem* congruit;
 quem antea voverat.

Asello jussit reliquias poni hordei :

Quas aspernatus ille, sic locutus est :

Tuum libenter prorsùs adpeterem cibum, 5
Nisi, qui nutritus illo est, jugulatus foret.

¶ Hujus respectu fabulæ deterritus,
Periculosum semper vitavi lucrum.

Sed dices : *Qui rapuere divitias, habent.*

Numeremus agedum, qui deprénsi perierint ; 10

Majorem turbam punitorum reperies.

Paucis temeritas est bono, multis malo.

Poni] Pro composito, *opponi*. Asello poni, *to be thrown upon the ass*.

Hordei] Quo saginatus erat verres.

Prorsùs] Admodùm, perquam libenter.

Adpeterem] *Fall to*.

Illo] Hordeo.

Respectu] Intuitu, animum ad hanc fabulam advertendo, *by applying*.

Rapuere] Per rapinam et vim paravere, *have unjustly obtained*.

Habent] Possident, et

fruuntur raptis. *Enjoy their riches unjustly got.*

Deprénsi] Nimirùm inter rapiendum, *ἐπ' αὐτοφώρῳ ληθθέντες*.

Punitorum] Genitivus participii *punitus*; pœnâ meritâ affectorum.

Temeritas] *Venturing to get riches unjustly*.

Bono] Commodo. Est bono, *proves advantageous*.

Malo] Incommodo, *destructive*.



FAB. V.

Præjudicata opinio judicium obruit.

SCURRA ET RUSTICUS.

PRAVO favore labi mortales solent ;
Et, pro judicio dum stant erroris sui,
Ad pœnitendum rebus manifestis agi.

¶ Facturus ludos quidam dives nobilis,
Proposito cunctos invitavit præmio, 5
Quam quisque posset, ut novitatem ostenderet.
Venère artifices laudis ad certamina ;
Quos inter Scurra, notus urbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret. 10
Dispersus rumor civitatem concitat :
Paulò antè vacua turbam deficiunt loca.

Pravo] Per pravum et cæcum favorem, *through corrupt partiality.*

Pœnitendum] Ad mutandam sententiam. *To recant.*

Agì] Impelli, *are forced.*
Ludos nobiles] Extraordinary sports : sub. scenicos, *mimic plays.*

Quam] Ordo verborum : *ut quisque ostenderet novitatem, quam posset.*

Laudis ad certamina] Ubi certatur, uter utri ar-

te prior fuerit, laudemque reportaverit. *To a trial of skill for praise.*

Scurra] A Buffoon : qui autem Romæ fuerunt.

Urbano sale] Lepidis jocis et dicteriis, *for his ready wit,*

Foret] Insolens de re præteritâ loquendi modus.

Civitatem] Cives convocat in theatrum.

Turbam deficiunt] Cannot hold the multitude of spectators.

In scenâ verò postquàm solus constitit,
 Sine apparatu, nullis adjutoribus,
 Sîlentium ipsa fecit expectatio. 15
 Ille in sinum repentè demisit caput,
 Et sic porcelli vocem est imitatus suâ,
 Verum ut subesse pallio contenderent,
 Et excuti juberent. Quo facto, simul
 Nihil est repertum, multis onerant laudibus, 20
 Hominemque plausu prosequuntur maximo.
 Hoc vidit fieri Rusticus: *Non meherculè*
Me vincet, inquit; et statim professus est,
Idem facturum meliùs se postridiè.
 Fit turba major: jam favor mentes tenet, 25
 Et derisuri, non spectaturi, sedent.
 Uterque prodit: Scurra digrunnit prior,
 Movetque plausus, et clamores suscitât.
 Tunc simulans sese vestimentis Rusticus
 Porcellum obtegere, (quod faciebat scilicet, 30
 Sed, in priore quia nil compererant, latens)

Adjutoribus] *Prompters:*
 qui voce aut aliàs mimos
 jûvant.

Expectatio] Nimirùm
 illius, quod facturus erat.

Suâ] Voce: verum por-
 cellum, Heinsius *verrem*;
 malè.

Contenderent] Sc. spec-
 tatores fidenter assevera-
 rent; *firmly believed.*

Excuti] Sc. pallium.

Simul] *Simul ac.*

Favor] *Prejudice in fa-*

vor of the buffoon.

Tenet] A liberè judican-
 do impedit; vel, totas pos-
 sidet.

Digrunnit] Malo *de-*
grunnit: in sinum capite
 demisso grunnit.

Plausus] Spectatorum.

Faciebat] Tegebat re-
 verâ.

Compererant] Spectato-
 res.

Latens] *Being undisco-*
vered.

Pervellit aurem verò, quem celaverat,
 Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
 Adclamat populus, *Scurram multò similiùs*
Imitatum; et cogit Rusticum trudi foràs. 35
 At ille profert ipsum porcellum è sinu;
 Turpemque aperto pignore errorem probans;
En, hic declarat, quales sitis iudices.

¶ Adhuc supersunt multa, quæ possim loqui,
 Et copiosa abundat rerum varietas; 40
 Sed temperatæ suaves sunt argutiæ;
 Immodicæ offendunt. Quare, vir sanctissime,
 Particulo (chartis nomen victurum meis,
 Latinis dum manebit pretium literis)
 Si non ingenium, certè brevitatem adproba; 45
 Quæ commendari tantò debet justiùs,
 Quantò Poëtæ sunt molesti validiùs.

Aurem] The ear of the pig.
Verò] In reality.
Vocem naturæ] The natural voice of the pig.
Aperto pignore] Manifesto argumento, by a visible proof.
Hic] Nempè porcellus.
Loqui] Scribere. *Supersunt mihi quæ scribam,* suprà dixerat.
Rerum] Materix. Sic in fine quarti libri, *materix tanta abundet copia.*
Temperatæ argutiæ] Moderate wit.
Offendunt] Sunt molestæ legentis palato, vel gustui.
Sanctissime] Integerri-me, most upright.
Latinis] Dum Latinæ literæ in pretio et honore erunt. *Latinis literis,* to the Roman learning.
Certè] Saltem. *At least.*

FAB. VI.

Non omnia omnibus congruunt.

DUO CALVI.

INVENIT Calvus fortè in trivio pectinem,
 Accessit alter, æquè defectus pilis :
Heia, inquit, *commune quodcunque est lucri.*
 Ostendit ille prædam, et adjecit simul ;
Superùm voluntas favit ; sed fato invidio 5
Carbonem, ut aiunt, pro thesauro invenimus.

¶ Quem spes delusit, huic querela convenit.

Accessit] Ad eum venit ;
came up to him.

Defectus] Destitutus :
 quem pili defecerant. i. e.
 reliquerant. *Defectus pi-*
lis, destitute of hair.

Lucri] *Chance gain.*

Ille] *He who took it up.*

Prædam] Pectinem, the
booty.

Adjecit] Subaud. *hæc*
verba, these words.

Favit] Sub. *nobis*, in eo
 quòd aliquid invenimus.

Invidio] Maligno, *adverse*
fortune. Invidia autem
 semper aliquid de bonis
 detrahere amat.

Huic] *Hæc* Schefferus.

FAB. VII.

Stulta superbia ridetur ab omnibus.

PRINCEPS TIBICEN.

UBI vanus animus, aurâ captus frivolâ,
 Arripuit insolentem sibi fiduciam,
 Facilè ad derisum stulta levitas ducitur.

¶ Princeps tibicen notior paulò fuit,
 Operam Bathyllo solitus in scenâ dare. 5
 Is fortè ludis (non satis memini quibus)
 Dum pegma rapitur, concidit casu gravi
 Necopinus, et sinistram fregit tibiam;
 Duas quùm dextras maluisset perdere.
 Inter manus sublatus, et multùm gemens, 10
 Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
 Ad sanitatem dum venit curatio.
 Ut spectatorum mos est, et lepidum genus,
 Desiderari cœpit, cujus flatibus
 Solebat excitari saltantis vigor. 15
 Erat facturus ludos quidam nobiles,
 Et incipiebat Princeps ingredier: Eum
 Adducit pretio, precibus, ut tantummodò
 Ipso ludorum ostenderet sese die.
 Qui simul advenit, rumor de tibicine 20
 Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum;
 Quidam in conspectum proditurum sine morâ.

Princeps] Nomen tibi-
 cinis. *Prince, the piper.*

Notior] Aliis: quia sole-
 bat operam Bathyllo dare.

Operam dare] Inflare
 tibias, ad quas Bathyllus
 mimus saltaret. *To play*
on his pipes.

Pegma] Machina arti-
 ficiosa pro diversitate ar-
 gumenti adornata: mobi-
 lis autem erat, in omnes
 partes versatilis.

Necopinus] Incautus, im-
 prudens: *nec pro non.*

Dextras] Tibias. Ludit
 in voce *tibiæ*: fregit tibi-
 am, sive crus sinistrum, sed
 maluisset duas dextras ti-
 bias (quibus in scenâ ute-
 batur) frangere, quàm uni-
 cam illam sinistram. De
 dextris tibiis adi Terentii
 didascalias, et ibi interpre-
 tes.

Saltantis] Bathylli.

Aulæo misso, devolutis tonitribus,
 Dii sunt locuti more translatio.
 Tunc chorus ignotum modò reducto canticum
 Imposuit, cujus hæc fuit sententia; 26
Lætare, incolumis Roma, salvo Principe.
 In plausus consurrectum est. Jactat basia
 Tibicen, gratulari fautores putat.
 Equester ordo stultum errorem intelligit; 30
 Magnóque risu canticum repeti jubet.
 Iteratur illud: Homo meus se in pulpito
 Totum prosternit; plaudit inludens eques:
 Rogare populus hunc coronam existimat.
 Ut verò cuneis notuit res omnibus, 35
 Princeps, ligato crure niveâ fasciâ,
 Niveisque tunicis, niveis etiam calceis,
 Superbiens honore divinæ domûs,
 Ab universis capite est protrusus foràs.

Aulæo misso] *The curtain being drawn.*

Devolutis] Idèd *devolutis*, quia fiebant tonitrua saxi dejectis post scenam, magno cum fragore.

Translatio] Consueto, solito. Vid. Salmas. ad Solinum.

Principe] Tiberio, cùm sublatus esset Sejanus, conjurator.

Iteratur] Iterùm canitur.

Homo meus] *My spark.* Homo de misero et fatuo comicè dictum est.

Pulpito] Ubi canere fa-

bulamque agere solebant personæ.

Eques] Equites, equester ordo. *The gentry.*

Coronam] Præmium certaminis in illo ludo.

Cuneis] Populo in cuneis sedenti.

Fasciâ] Candidâ fasciâ: qui color inter regales habitus est.

Honore divinæ] Augustæ Cæsareæ. Superbus factus honore, non ipsi, sed Cæsari, destinato.

Protrusus] Præceps extrusus, *thrust out of doors.*

FAB. VIII.

Fugit irreparabile tempus.

OCCASIO DEPICTA.

CURSU volucris pendens in novacula,
 Calvus, comosâ fronte, nudo corpore,
 Quem si occupâris, teneas; elapsum semel
 Non ipse possit Jupiter reprehendere;
 Occasionem rerum significat brevem. 5

¶ Effectus impediret ne segnis mora,
 Finxere antiqui talem effigiem temporis.

<i>Cursu volucris]</i> Alatis pedibus, <i>with winged speed.</i>	<i>nipotens.</i>
<i>Pendens]</i> Suspensus, leviter insistens.	<i>Reprehendere]</i> Revocare, <i>to call back.</i>
<i>Comosâ fronte]</i> <i>With a hairy forehead.</i>	<i>Brevem]</i> Brevem esse.
<i>Occupâris]</i> Seize before.	<i>Effectus]</i> Success.
<i>Ipsè]</i> Quantumvis omn-	<i>Temporis]</i> Of opportunity.

FAB. IX.

Ne sus Minervam.

TAURUS ET VITULUS.

ANGUSTO in aditu Taurus luctans cornibus,
 Quàm vix intrare posset ad præsepia,
 Monstrabat Vitulus, quo se pacto plecteret:

<i>Quo pacto]</i> <i>By what means.</i>	<i>Plecteret]</i> <i>Flecteret,</i>
	<i>twist, turn.</i>

L

Tace, inquit, antè hoc novi, quàm tu natus es.

¶ Qui doctiorem emendat, sibi dici putet. 5

Emendat] Corrigere in se recipit. *Putet]* Hoc sibi dici putet: *Pretends to* *Let him apply this to himself.*

FAB. X.

Omnia fert ætas.

VENATOR ET CANIS.

ADVERSUS omnes fortis veloces feras
 Canis quàm domino semper fecisset satìs,
 Languere cœpit annis ingravantibus.
 Aliquando objectus hispidi pugnæ suis,
 Arripuit aurem ; sed cariosis dentibus 5
 Prædam demisit. Hîc tum Venator dolens
 Canem objurgabat. Cui senex contrà latrans ;
Non te destituit animus, sed vires meæ.

Fecisset satìs] Placuisse,
Had always pleased.

Ingravantibus annis]
With old age.

Objectus] Non tantùm
 commissus in pugna, ut
 interpret, sed ut viribus
 inferior, et ab hoste qui
 malum jure timeret ob-
 jectus ; *exposed.*

Hispidi] Setosi, *bristly.*

Cariosis] Carie adesis.

Demisit] Malè olim di-
 misit.

Dolens] *Being vexed.*

Senex latrans] *The old
 cur, barking, answered.*

Non te destituit] Idem
 est mihi erga te, qui olim,
 animus ; sed vires meæ
 tua jussa detrectant.

Quod fuimus lauda, si jam damnas quod sumus.

¶ *Hoc cur, Philete, scripserim, pulchrè vi-*
des. 10

Quod fuimus] *What I plainly perceive.* Excusa-
was when young. tum se vult Phileto, quòd

Jam] *Now in my old Age.* non eâ scribat alacritate

Hoc] *Subaud. Exem-* senex, quâ fecit olim, cùm
plum. Fable. adhuc ætate viribusque

Pulchrè vides] *You will* *esset integris. Scheff.*

APPENDIX

FABULARUM,

OLIM A

MARQUARDO GUDIO;

E Manuscripto veteri descriptarum; nunc autem in lucem editarum.



FAB. I.

Miluüs Ægrotans.

MULTOS cùm menses ægrotâsset Miluüs,
Nec jam videret esse vitæ spem suæ,
Matrem rogabat, sancta circumiret loca,

Multos] Non absimilis extat fabula apud Æsopum de Corvo ægrotante.

Sancta] Ut sancta.

Loca] Templâ, aras, &c.
Sic in periculis constitui

solebant etiam privatorum domos circumire.

Pro salute] Ut salutem recuperet. lib. 3. fab. 2. *pro vitâ rogant.*

Et pro salute vota faceret maxima.
 Faciam, inquit, fili; sed opem ne non impetrem;
 Vehementer vereor: tu, qui delubra omnia 6
 Vastando, cuncta polluisti altaria,
 Sacrificiis nullis parcens, nunc quid vis rogem?

Vota faceret] Voveret non impetraturam, quod
 diis multò, si filius suis à peto. *That I shall not*
 morbo liberaretur. *obtain my petition.*

Inquit] Mater. *Rogem]* Ut pro te Deos
Opem ne non, &c.] Me rogem.

FAB. II.

LEPORES VITÆ PERTÆSI.

Qui sustinere non potest suum malum,
 Alios inspiciat, et discat tolerantiam.

¶ Aliquando in sylvis strepitu magno conciti
 Lepores clamant, se propter assiduos metus
 Finire velle vitam. Sic quendam ad lacum 5
 Venerunt, miseri quò se præcipites darent.
 Adventu quorum postquam ranæ territæ
 Virides in algas miserè fugientes ruunt:

Sustinere suum malum]
Bear his own misfortune.

Alios inspiciat] *Let him*
look at the misfortunes of
other men.

Tolerantiam] *Patience.*

Aliquando] *Quòdam tem-*
pore. On a certain time.

Conciti] *Perturbati, me-*
tu percussi. Affrighted.

Assiduos] *In quibus vi-*
verent ob insidias venato-
rum. Continued.

Algas] *Ulvæ. Nam at-*
gam volunt esse maris; ul-
vam, stagnorum.

Heu, inquit unus, sunt et alii, quos timor
Vexat malorum. Ferte vitam, ut cæteri. 10

Heu] *Heu quanta nobis
instat perniciēs!* ait. lib. 1.
fab. 30.

Unus] Leporum.
Malorum] Sic initio, sus-
tinere suum malum.

FAB. III.

VULPES ET JUPITER.

NATURAM turpem nulla fortuna obtegit.

¶ Humanam in speciem cùm vertisset Jupiter
Vulpem, regali pellex ut sedit throno,
Scarabæum vidit prorepentem ex angulo,
Notámque ad prædam celeri prosiluit gradu. 5
Superi risère, magnus erubuit pater,
Repudiatam turpemque pellicem expulit;
His prosequutus: Vive quo digna es modo,
Quæ nostris uti meritis dignè non potes.

Fortuna] Dignitas, ho-
nor. *Wealth, honor.*

Obtegit] Obtegere po-
test.

Humanam] In hominis
formam.

Vertisset] Mutasset.

Prædam] Quæ scilicet
solebat delectari, cùm ad-
huc vulpes esset.

Prosiluit] De throno pro-
siluit *veloci saltu*, ut est lib.
3. fab. 2. *Leaped from her
throne.*

Superi] Jupiter, et Dii
cum eo.

Magnus] Jup-ter: nam
Magnus ejus est cognomen-
tum. Vid. lib. 4. fab. 16.

Turpemque] *Mean-spirit-
ed*, quia rem turpem com-
misisset: nam repudiari
solitæ olim uxores ob rem
pudendam.

His] Subaud. *Verbis.*

Prosequutus] Subaud.
Eam.

Modo] *In the station.*

Meritis] Beneficiis, qui-
bus te prosequimur, *favor.*

Dignè] Uti decebat. *In
a becoming manner.*

FAB. IV.

LEO ET MUS.

NE quis minores lædat, fabula hæc monet.

¶ Leone in sylvâ dormiente, rustici
Luxuriabant mures, et unus ex iis
Super cubantem casu quodam transiit.
Expergefactus, miserum Leo celeri impetu 5
Arripuit: ille veniam sibi dari rogat,
Crimen fatetur, peccatum imprudentiæ.
Hoc Rex ulcisci gloriosum non putans,
Ignovit et dimisit. Post paucos dies
Leo dum vagatur noctu, in foveam decedit. 10
Captum ut se agnovit laqueis, voce maximâ

Minores] Qui sunt minores quàm ipse est, *lower than himself.*

Lædat] Injuriâ afficiat, *should injure.*

Rustici] *Rustici* idem est Ciceroni, quod *agrarii*, vel *agrestes.*

Celeri] Sic præced. fabulâ, *celeri gradu.*

Veniam] *Sibi ignosci*; ut mox sequitur.

Peccatum] Dicens se peccasse per imprudentiam.

Rex] Leo, qui Rex di-

citur ferarum. Vid. lib. 4. fab. 12.

Gloriosum] Non convenire cum gloriâ magnanimi Leonis.

Dimisit] Murem.

Post] *Paucis diebus interpositis*, lib. 3. fab. 2.

Vagatur] Hac illuc discurrit.

Foveam] Vid. lib. 3. fab. 2.

Captum] Imitatur more suo Virgilium, qui Georg. 1.—*Tam laqueis capture feras.*

Rugire cœpit : cujus immanem ad sonum
 Mus subitò accurrens ; Non est quod timeas, ait ;
 Beneficio magno gratiam reddam parem.
 Mox omnes artus, artuum et ligamina 15
 Lustrare cœpit, cognitosque dentibus
 Nervos rodendo, laxat ingenia artuum.
 Sic captum Mus Leonem sylvis reddidit.

Rugire] Rugire vox leonum.

Non est quod timeas] Timore absiste, ut suprâ, lib. 3. fab. 2. *Here is nothing for you to fear.*

Lustrare] Diligenter inspicere, ubi facillimè pos-

sent divelli.

Cognitosque] Inventosque, *found out.*

Laxat] Solvit.

Ingenia artuum] *The contrivance of the knotty joints.*

FAB. V.

HOMO ET ARBORES.

PEREUNT suis auxilium qui dant hostibus.

¶ Factâ bipenni, quidam ab arboribus petit,
Manubrium ut darent è ligno, quod foret,
Firmum: jusserunt omnes Oleastrum dari:
Acceptit munus, factumque aptans manubrium, 5
Cœpit securi magna excidere robora:
Dumque eligebat quæ vellet, sic Fraxino
Dixisse fertur Quercus; Meritò cædimur.

Homo] Hanc fabulam, quam Marquardus Gudius in notis suis ad hunc auctorem nobis exhibuit, operæ pretium duximus adjicere prioribus, in usum studiosæ juventutis. Nulla enim majore desiderio expetita est unquam; faciebat scilicet ad explicationem loci in Prologo lib. 1.—*Quæd arbores loquantur, non tantum feræ.*


Bipenni] Securi; sic dicta, quia ab utrâque parte habent aciem.

Robora] Durissimas quercus, cæterasque arbores.

Dumque] Dum eligeret quæ vellet robora truncare, vel excidere.

Meritò cædimur] *We suffer deservedly.* Sic. Lib. 1. fab. 3.—*De reliquis tunc una, Meritò plectimur.*





PUBLII SYRI

ET ALIORUM

SENTENTIÆ.

EX RECENSIONE

CL. BENTLEH.



ERASMI ROT. Epist. ad JOH. NÆVIUM.

Publii Mimos quis contemnat? quos *Aulus Gellius* lepidissimos, *Seneca* disertissimos vocat: cujusque Sententias (ut idem testatur) non piguit summos etiam Rhetores æmulari.

PUBLII SENTENTIÆ.

- AB alio exspectes, alteri quod feceris.
Ab amante lacrymis redimas iracundiam.
Absentem lædit, cum ebrio qui litigat.
Ad calamitatem quilibet rumor valet.
Ad poenitendum prosperat, citò qui iudicat. 5
Ad tristem partem strenua est suspicio.
Ægré reprêndas, quòd sinas consuescere.
Aliena nobis, nostra plus aliis placent.
Alienum æs homini ingenuo acerba est servitus.
Alienum est omne, quicquid optandò venit. 10
Amans iratus multa mentitur sibi.
Amans quid cupiat, scit; quid sapiat, non videt.
Amans quod suspicatur, vigilans somniat.
Amans, ita ut fax, agitando ardescit magis.
Amare et sapere, vix Deo conceditur. 15
Amare juveni fructus est, crimen seni.
Ames parentem, si æquus est; si aliter, feras.
Amici vitia si feras, facis tua.
Amissum quod nescitur, non amittitur.
Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur. 20
Amor extorqueri non pote, elabi pote.
Amoris vulnus sanat idem, qui facit.
Amor misceri cum timore non potest.
Animo dolenti nihil oportet credere.
Anus cum ludit, morti delicias facit. 25

Apérte mala cùm est múlier, tum demum ést
bona.

Aváro quid mali óptes, nisi vivás diu ?

Avárum facilè cápias, ubi non sís idem.

Avárus animus nullo satiatúr luero.

Avárus, nisi cùm móritur, nil recté facit. 30

Aut ámat aut odit múlier : nihil est tértium.

Auxília humilia firma consensús facit.

BENE cógitata, si éxcidunt, non óccidunt.

Bene dórmit, qui non séntit, quàm malé dor-
miat.

Benefícia plura récipit, qui scit réddere. 35

Benefícium accipere, líbertatem est véndere.

Benefícium dando accépit, qui dignó dedit.

Benefícium dignis úbi des, omnes óbligés.

Benefícium dare qui néscit, injusté petit.

Benefícium qui dedísse se dicít, petit. 40

Benefícium sæpe dáre, docere est réddere.

Bene pérdis gaudium, úbi dolor paritér perit.

Bene pérdit nummos, júdici quos dát nocens.

Bene víxit is, qui pótuít cùm voluit mori.

Bis émori est, altérius arbitrió mori. 45

Bis grátum est, quod dato ópus est, ultro si
ófferas.

Bis ínterimitur, quí suis armís perit.

Bis péccas, cùm peccánti obsequium accóm-
modas.

Bis víncit, qui se víncit, in victória.

Blandítiâ, non império, fit dulcís Venus. 50

Bona cómparat præsídia misericórdia.

Bona fama in tenebris proprium splendorem
obtinet.

Bona mors est omnis, vitæ quæ extinguit mala.

Bona nemini hora est, ut non alicui sit mala.

Bonarum rerum consuetudo est pessima. 55

Bonitatis verba imitari, major malitia est.

Bonorum crimen est officiosus miser.

Bonum ad virum cito moritur iracundia.

Bonum est fugienda aspiceret in alieno malo.

Brevis ipsa vita est, sed malis fit longior. 60

CÆCI sunt oculi, cum animus alias res agit.

Careret periculo, qui etiam cum est tutus cavet.

Casta ad virum matrona parendo imperat.

Casus quem sæpe transit, aliquando invenit.

Cito ad naturam ficta reciderint suam. 65

Cito ignominia fit superbi gloria.

Comes facundus in via pro vehiculo est.

Consuetata vitia ferimus, nova reprændimus.

Contra impudentem stulta est nimia ingenuitas.

Cotidie damnatur, qui semper timet. 70

Cotidie est deterior posterior dies.

Crimen relinquit vitæ, qui mortem appetit.

Crudelum medicum intemperans æger facit.

Crudelis est, non fortis, qui infantem necat.

Crudelis est in re adversa objurgatio. 75

Crudelis lacrymis pascitur, non frangitur.

Cui nolis sæpe irasci, irascaris semel.

Cui omnes benedicunt, possidet populi bona.

Cui plus licet quam par est, plus vult quam
licet.

Cui semper dederis, ubi negas, rapere imperas.

Cuivís dolori rémedio est patiéntia. 81
 Cuivís potest accidere, quod cuiquám potest.
 Cum inimíco nemo in grátiam tutó ređit.
 Cùm vítia prosunt, péccat qui recté facit.

DAMNA'RE est, objurgáre cùm auxilio ést
 opus. 85

Damnum áppellandum est, cùm mala famá lu-
 crum.

Darí bonum quod pótuit, auferrí potest.

Delíberando saépe perit occasio.

Delíberandum est diú, quod statuendum ést
 semel.

Despícere oportet, quícquid possis pérdere. 90

Didicére flere féminæ in mendácium.

Diés quod donat tímeas : cito raptúm venit.

Diffícilem oportet aúrem habere ad crímina.

Discípulus est prióris posteriór dies.

Discórdiâ fit cárior concórdia. 95

Diu ápparandum est béllum, ut vincas célerius.

Dolór decrescit, úbi quo crescat nón habet.

Ducis ín consilio pósita est virtús mílitum.

Dum víta grata est, mórtis conditio óptima est.

ET deést et superest míseris cogitátio. 100

Etiám capillus unus habet umbrám suam.

Etiám celeritas ín desiderio mora est.

Etiám innocentes cógit mentirí dolor.

Etiám ín peccáto rectè præstatúr fides.

Etiám óblivisci, quí sis, interdum éxpedit. 105

Etiám qui faciunt, óderint injúriam.

Excélsis multo fácius casús nocet.

Ex vício alterius sápiens emendát suum.

FACILITAS animi ad pártē stultitiæ rapit.

Factúm tacendo, crímen facias ácrius. 110

Fatétur facinus, ís qui judiciúm fugit.

Felíx improbitas óptimorum est calámitas.

Ferás facilia, ut díffícilia pérferás.

Ferás, non culpes, quód mutári nón potest.

Fidém nemo unquam pérdit, nisi qui nón habet. 115

Fidém qui perdit, pérdere ultra níl potest.

Fidém qui perdit, quó se servet réliquio ?

Fidés, ut anima, unde ábiit, eo nunquám redit.

Formósa facies múta cõmmendátio est.

Fortúna cùm blandítur, captatúm venit. 120

Fortúna ad omne plús quàm consiliúm valet.

Fortúnam eitiùs réperias, quàm rétineas.

Fortúna, nimium quém fovet, stultúm facit.

Fortúna obesse nullo contenta ést semel.

Fortúna quo se, eódem et inclinát favor. 125

Fortúna vitrea est ; tùm, cùm splendet, frángitur.

Frugálitas miséria est rumorís boni.

Furór fit læsa saépius patiéntia.

GRATU'M facit fortúna, cui nemo ínvidet.

Grave crímen, etiam léviter cùm dictum ést, nocet. 130

Gravióra quædam sùnt periclis remédia.

Gravíssimum est impérium consuetúdinis.

Graviús nocet, quodcúmque inexpertum áccidit.

HABET suum venenum blanda oratio.

Heredem ferre utilius est quam quaerere. 135

Heredis fletus sub personâ risus est.

Heu! quam difficilis gloriæ custodia est!

Hominem experiri multa, paupertas jubet.

Hominî consilium tunc deest, cum multa invenit.

Homo toties moritur, quoties amittit suos. 140

Honestè servit, qui succumbit tempori.

Honôs honestum decorat, inhonestum notat.

IGNOSCITO sæpe alteri, nunquam tibi.

Illó nocens se damnat, quo peccat die.

Impune pecces in eum, qui peccat prior. 145

In amore semper mendax iracundia est.

In calamitoso risus etiam injuria est.

In nullum avarus bonus est, in se pessimus.

Inferior discit, quicquid peccat superior.

In vindicando criminosa est celeritas. 150

Ingratus unus omnibus miseris nocet.

Inimicum quamvis humilem docti est metuere.

Injuriarum remedium est oblivio.

Inopiæ desunt pauca, avaritiæ omnia.

Insanus omnis furere credit ceteros. 155

Instructa inopia est, in divitiis cupiditas.

In rebus dubiis plurimi est audacia.

Invidia tacite, sed inimice irascitur.

Invidiam ferre aut fortis aut felix potest.

Invitum cum retineas, exire incites. 160

Iratum breviter vites, inimicum diu.

Iratum cum ad se rediit, sibi tum irascitur.

Iratum etiam facinus concilium putat.

Ita créde amico, né sit inimicó locus.

Iter ést, quacumque dát prior vestigium. 165

Jucúndum nihil est, nísi quod reficit várietas.

Judéx damnatur, cúm nocens absólvitur.

LAUS nóva nisi oritur, étiam vetus amíttitur.

Legém nocens verétur, Fortunam innocens.

Lex úniversi est, quae jubet nasci ét mori. 170

Luxúriæ desunt múlta, avaritiæ ómnia.

MALA ést medicina, ubi áliquíd naturaé perit.

Maledíctum interpretádo facias ácrius.

Malefácere qui vult, núnquam non causam ínvenit.

Malévolus semper suá natura véscitur. 175

Malígnos fieri máximè ingrati docent.

Male géritur, quicquid géritur Fortunaè fide.

Male sécum agit æger, médicum qui heredém facit.

Malo ín consilio féminæ vincúnt viros.

Malúm consilium cónsultori est péssimum. 180

Malum ést consilium, quód mutari nón potest.

Malús bonum ubi se símulat, tunc est péssimus.

Malus ést vocandus, quí suí causa ést bonus.

Minimum éripit Fortúna cui mínimúm dedit.

Minús decipitur, cú negatur cériter. 185

Misera ést voluptas, úbi pericli mémoria est.

Misérriima ést fortúna, quæ inimicó caret.

Muliebris lacryma cóndimentum málitiae est.

Mulíer cúm sola cógitat, malè cógitat.

Mulíer quæ multis núbit, multis nón placet. 190

Multís minatur, qui úní facit injúriam.

NECE'SSE est multos tímeat, quem multí
timent.

Negánda causa aváro numquam déficit.

Negát sibi ipse, quí quod difficile ést petit.

Nemó qui coepit éx se, risum praébuit. 195

Nemo ímmaturè móritur, qui moritúr miser.

Nihil éripit Fortúna, nisi quod ét dedit.

Nil peccent oculi, si óculis animus ímperet.

Nil túrpius, quàm vívere incipiéns senex.

Nimum áltercando véritas amíttitur. 200

Nisi pér te sapias, frástra sapientem aúdias.

Nisi quí scit facere, insídias nescit métuere.

Nisi víndices delícta, improbitatem ádjuves.

Nocéns precatur, innocens iráscitur.

Non ést tuum, Fortúna quod fecít tuum. 205

Numquám perículum sine periculo vincitur.

OBSE'QUIUM nuptæ cíto fit odium péllicis.
Occásio ægrè offértur, fácilè amíttitur.

Omnes æquo animo párent, digni ubi ímpe-
rant.

O víta misero lónga, felicí brevis ! 210

PARE'NS iratus ín se est crudelíssimus.

Pars bénefici est, quod pétitur, si bellé neges.

Pars bénefici est, quod pétitur, si citó neges.

Patiéndo multa, véniunt quæ nequeás pati.

Paucórum improbitas, úniversis cálamitas. 215

Peccátum extenuat, quí celeriter córrigit.

Pejóra querulo cógitat mutús dolor.

Perfúgere ad inferiórem, seipsum est trádere.

Perícla timidus, étiam quæ non sún, videt.

Populi est mancipium, quisquis patriæ est utilis. 220

Post calamitatem, memoria alia est calamitas.

Potens misericors publica est felicitas.

Potenti irasci, sibi periculum est quaerere.

Præsens est semper, qui absens etiam ulciscitur.

Prius negatum post fecisse, est fallere. 225

Probus libertus sine natura est filius.

Pudor dimissus nunquam redit in gratiam.

Pudor doceri non potest, nasci potest,

Pupillus hominis avidi est ætatis brevis.

QUICQUID futurum est summum, ab imo nascitur. 230

Qui pro innocente dicit satis est eloquens.

Qui se ipse laudat, cito derisorem invenit.

Quod aetas vitium posuit, aetas auferet.

Quod quisque amat, laudando commendat sibi.

Quod vult habet, qui velle quod satis est potest. 235

RARUM esse oportet, quod diu carum velis.

Remedium frustra est contra fulmen quaerere.

SAPIENS quod petitur, ubi tacet, breviter negat.

Secreto amicos admone, lauda palam.

Sibi ipsa improbitas cogit fieri injuriam. 240

Sibi ipse dat supplicium, quem admissi pudet.

Solet esse in dubiis pro consilio temeritas.

TAM deest avaro quod habet, quam quod non habet.

Timidus vocat se cautum, parcum sordidus.

Lately Published by
E. WILLIAMS, ETON,


and may be had gratis

At No. 10 Red Lion Court, Fleet-Street, London,

A Catalogue of Books

PRINTED FOR THE USE OF ETON SCHOOL;

Most of which have been recently revised and improved.

 *As the Lord Chancellor's Injunction is in full force against the spurious Editions of Eton Greek Grammar, with the Alterations and Improvements lately introduced therein, those Gentlemen concerned in Education, whom E. WILLIAMS has not the Honor directly to supply, will please to direct their respective Booksellers, to send them the GENUINE EDITIONS of all ETON Books; as it is only from the Press of E. WILLIAMS they can be had as actually used at ETON.*

Lately Published,

A New and corrected Edition of

TERENTII COMŒDIÆ TRES: viz.

ANDRIA, EUNUCHUS, ADELPHI.

*Revised by the best Editions, and omitting such passages
as are exceptionable.*

Shortly also will be Published,

Corrected and improved Editions of the following.

MONITA ET PRÆCEPTA CHRISTIANA.

HORATHI TURSELLINI ROMANI


HISTORIARUM,

Ab origine Mundi, usque ad annum à Christo nato

CLXIII,

EPITOMÆ

LIBRI QUATUOR.



Handwritten cursive text, possibly a signature or initials, consisting of several loops and flourishes.



1701
1702
1703
1704
1705
1706
1707
1708
1709
1710
1711
1712
1713
1714
1715
1716
1717
1718
1719
1720
1721
1722
1723
1724
1725
1726
1727
1728
1729
1730
1731
1732
1733
1734
1735
1736
1737
1738
1739
1740
1741
1742
1743
1744
1745
1746
1747
1748
1749
1750
1751
1752
1753
1754
1755
1756
1757
1758
1759
1760
1761
1762
1763
1764
1765
1766
1767
1768
1769
1770
1771
1772
1773
1774
1775
1776
1777
1778
1779
1780
1781
1782
1783
1784
1785
1786
1787
1788
1789
1790
1791
1792
1793
1794
1795
1796
1797
1798
1799
1800